# IULII PONTEDERAE PISANI... COMPENDIUM TABULARUM BOTANICARUM, IN...

Giulio Pontedera





JULII

# PONTEDERÆ

COMPENDIUM

TABULARUM BOTANICARUM.

# JULII PONTEDERÆ PISANI

Philoſophi, & Medici

# COMPENDIUM TABULARUM BOTANICARUM,

in quo Plantæ CCLXXII.
Ab eo in Italia nuper detectæ recenſentur.

*Acceſſit ejuſdem Epiſtola ad* Cl. Vir. GUIHELMUM SHERARDUM Anglum, *Botanicorum noſtræ ætatis Principem, in qua & de his, & de aliis Tabulis alias edendis agitur.*



PATAVII, TYPIS SEMINARII. MDCCXVIII.
Apud Joannem Manfrè.
*SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.*

*Illuſtriſſimis, atque Excellentiſſimis Viris*

PATAVINI GYMNASII MODERATORIBUS

FRANCISCO SUPERANTIO

Ædis D. Marci Procuratori,

MICHAELI MAUROCENO,

LAURENTIO THEUPOLO

Equiti, ac Ædis D. Marci Procuratori,

TOTIQUE TRIUMVIRUM LITERARIORUM ORDINI AMPLISSIMO

Julius Pontedera felicitatem perpetuam precatur.



UM Vobis, AMPLISSIMI VIRI, pro Veſtris immortalibus in diſciplinarum omnium, optimarumque artium ſtudium meritis quam cumula-

mulatissimæ gratiæ ab universo terrarum Orbe agendæ sunt: tum id vel in primis a Botanicis omnibus præstandum esse judico, qui se Vobis, Vestroque AUGUSTISSIMO SENATUI immensum quiddam, infinitum, & pene divinum debere fatentur. Nam cætera illa literarum genera, etsi Vestris munificentissimis Beneficiis quam maxime honestata fuerint, tamen & apud alias gentes tum veteres, tum recentiores honorem semper, sedemque invenere. At Botanice si vivit, si colitur, si summo honore afficitur, si in dies crescit, Vobis, Vestroque AMPLISSIMO ORDINI vitam, cultum, decus, augmentumque debet. Jaceret adhuc fortasse sordidis illis tenebris obvoluta, quibus ob Barbarorum incursiones obruta tam diu latuit, ut penitus fere ab hominum memoria exciderit, nisi MAJORUM VESTRO-

RUM

RUM AUGUSTÆ ILLÆ ANIMÆ tanquam e Cœlo delapsæ extitissent, quæ eam non solum in lucem revocassent, sed etiam locum, honorem, dignitatemque Publico Consilio dedissent. Vester itaque IMMORTALIS SENATUS honorificentissimis Decretis primum Rei Herbariæ Hortum instruxit, cum antea illius cultus, sive apud Græcos, sive apud Romanos, sive apud alios populos (quantuluscunque fuerit) privatis tantum parietibus conclusus fuisset, cum etiam privatis commodis deliciisque inserviret. Quo quidem exemplo incitatus Cosmus Magnus Hetruriæ Dux Pisas patriam meam secundo Plantarum Horto exornavit; postea vero reliqui Principes, Regesque Vestrum præclarum Facinus imitati sunt. Neque vero Vos, PRÆSTANTISSIMI SENATORES, Publicum solum Honorem Rei Herbariæ

bariæ decrevistis, sed & privatim eam omni studio, ac benevolentia prosecuti estis. Quod aperte declarant celeberrimi Horti omnium generum Plantis instructi, tum illi veteres Gabrielis, & Priuli; tum illi, qui paulo post summo in honore habiti fuerunt Hieronymi Capelli, & Nicolai Contareni: ut hos prætercam, qui nunc maxime celebrantur. En itaque, AMPLISSIMI VIRI, quantum publice Vobis, Vestroque EXIMIO ORDINI, quantum privatim plerisque Vestrum nos Botanici debeamus. Si enim artium Inventores, Reparatoresque eo in honore prisca gens habuerunt, ut etiam in Deorum numerum referrent: quo cultu Vos prosequemur, qui non, ut illi, fabulosis repertis, sed eximiis Muneribus, Beneficiisque in Artem nostram collatis, præstitistis, ut ad hanc amplitudinem, honoremque

per-

perveniret? Quapropter nolite mirari, si ego hunc meum novarum Plantarum libellum sub Vestris felicissimis Auspiciis emitto, illum VOBIS, NOMINIQUE INCLYTO VESTRO, veluti primum laborum meorum libamen, sacrando, dicandoque; Vobis enim Botanicorum omnium fructus deberi mihi videntur. Quorum porro Nomine hæc parva auspicamur, Eorundem Tutela in posterum majora nos aggressuros speramus, ipsasque Plantarum Tabulas, quas hic tantum commemorando attingimus, prosperrimum eventum habituras; quoniam juxta illud Hesiodi monitum facimus:

Εὔχεσθαι δὲ Διὶ χθονίῳ. Δημήτερι θ' ἁγνῇ.
Ἐκτελέα βρίθειν Δημήτερος ἱερὸν ἀκτήν.

Contraxi autem eas in Compendium, ut cito percurreretis, ne Vos diutius morando, publico literarum bono, ad quod omne stu-

Precari Jovem terrestrem et Cererem castam Perfectum gravescere Cereris sacrum munus ... ad panis, ad stipendii annui.

b dium,

dium, operamque referre soletis, cum sit Vobis omnium rerum potissimum, aliquid defraudaretur. Interea DEUM OPT. MAX. veneror, ut Vos, AMPLISSIMI VIRI, Vestrumque omnem AUGUSTISSIMUM SENATUM immortali gloria florentes, ac perpetua, firmaque incolumitate præstantes, quorum Tutela publica quoque salus, & securitas totius Italiæ innititur, servet, ac tueatur.

*Datum Patavio decimo Kal. Febr. MDCCXVIII.*

JU-

# JULIUS PONTEDERA

## *LECTORI SUO*

## S.



*Uicumque de re aliqua primo scribit, ab eo censeo duas Lectoribus prænotiones ante omnia esse tradendas, unam sui, materiæ alteram. Primum nempe Auctor quis sit, plurimum juvat cognovisse; ita enim fit, ut promptiore animo legamus, quos novimus, & assentiamur iis, quos maxime probamus. Qua in re præstanda non ita religiose priscos illos imitandos volumus, qui ita exordiebantur: Ἑκαταῖος μιλήσιος ὧδε μυθῆται quem morem & Thucydides, & Herodotus tenuere; sed abunde erit ea proferre, quibus Auctor tum ostendat se esse in ea re, de qua acturus sit, non mediocriter exercitatum, tum finem aperiat, quo impulsus ad scribendum descenderit. Id, sicut alii, mihi certe in hoc opusculo quam maxime necessarium cognosco, qui modo ex montibus, & obscuris vallibus in cœtus hominum prodire audeo; quique nihil aliud in præsens præstare nitor, quam lucem aliquam Tabulis, quas editurus sum, afferre. Danda enim opera est, atque in posterum cavendum, nova a nobis ne desideretur prænotio, cum & eas, & alia (ut speramus) in manus hominum emittemus. Porro id in primis agemus, ut non solum propositum, consiliumque nostrum detegamus, verum etiam vitæ institutum, atque con-*

*consuetudinem Botanicis nostris indicemus, non reticentes, quæ fuerit a principio ad Botanicos labores præparatio. Quod autem ad libellum, Plantulasque nostras pertinere censebimus, dicemus postea.*

*Longe itaque exordiar, repetens ultimum tempus, quo primum cogitabundus animum in varias partes flectere inceperim, inquirendo quomodo vita hominis esset informanda, atque dirigenda. Ita perquirenti pars hominum occurrebat, quæ otio, & quieti indulgens, sibique soli studens, quoscunque corporis labores formidabat. Tum e contrario altera pollens viribus, quæ assiduis laboribus, perpetuoque vitæ servitio ætatem agebat. At tertiam inter utramque quodammodo positam videbam: hæc & animo, & corpori invigilans, modo ingenio, modo viribus exercebatur, atque ea ratione præclari facinoris, aut artis egregiæ famam, laudemque quærebat. Hæc igitur optima videbatur. Prima enim ita vivit, ut sibi eadem ratio, ac ei qui nunquam extiterit, sit habenda; quoniam utriusque eadem futura est memoria. Quæ autem soli corpori adhærens, alterius & nobilioris partis usu posthabito, servilibus officiis tenetur, infimæ sortis, & miserrimæ conditionis censenda est. Illa igitur sola supererat, quæ jure ac merito frui anima videretur. Etenim, cum probe teneat, omnem sui vim in animo, & corpore a DEO Optimo Maximo fuisse sitam, qui etiam tam arcte corpori composuit animam, ut mutuo ad agendum convenirent, Divini muneris beneficio utens, utrumque præstare conatur. In hac omnes disciplinarum, bonarumque artium cultores, institutoresque continentur. Hi, dum illud accuratius meditantur, quod divinus Plato non uni Architæ, sed omnibus scriptum reliquit,*
ἐγ ἀλλὰ κἀκεῖνο δεῖ σε ἐνθυμεῖσθαι, ὅτι ἕκαστος ἡμῶν οὐκ αὐτῷ μόνον γέγονεν, *hominem nempe non sibi soli nasci, omni studio, omnibusque animi, & corporis viribus, ut ex se*

ipsis

*ipsis utilitatis, & commodi fructum, quam plurimi suscipiant, contendunt.*

*Ego itaque, ut a principio hoc vivendi institutum probatum habueram, ita summa studio, & desiderio efferebar, solicitus ne forte aliquando tam laudabilem vitæ consuetudinem tenere non possem. Adolescentiam igitur ita componendam judicavi, ut cum per ætatem liceret, cuicunque disciplinæ me addicere possem. Quare animi usu, corporisque servitio vicissim ætatem exercere, recreare animum labore, & motu, mox ab illa ad literarum cultum redire, prima nostra studia fuere. Quamobrem non solum artes illas, quæ liberales dicuntur, & quæ ab optimo quoque probantur, attigimus, sed ad illas etiam, a quibus plerique delicate nimis refugiunt, descendimus. Vites namque nunc in ordinem digerere, nunc in mergos curvare, modo inserere, modo putare, rastris semina cooperire, & ad similia manum admovere, ingenuis viris indigna nobis non visa sunt. Nullum opus turpe duximus nisi cum vitio. Quibus artibus confirmatam ætatem præ me fero; nullo namque tempore, vel anni vicissitudine vacuum me inveniebat socordia, siquidem hæc potissimum corpus hebetat, labor autem firmat. Qua etiam vivendi ratione aliquam forte supra ætatem de Plantarum historia cognitionem adeptus sum, quam nunquam habuissem, si in pervolvendis tantum antiquorum monumentis animus acquievisset. Quæ terra, quæ natura Plantarum, quæ regio, quæ tempora, qui cultus unicuique esset habendus,*

Hæc non sola mihi patefecit opinio famæ
Vulgaris, quæsita libris nec lectio priscis;
Sed labor, & studium, quibus otia longa dierum
Postposui, expertum rebus docuere probatis.

*Pluraque etiam nunc ex meis illis adversariis decerpo, dum de terræ, & vitium cultura Libellum elaboro,* quam

Celsus

*quam ex omnibus, qui extiterint, rei rusticæ magistris. Memini etiam, tunc primum notasse magnum intercedere discrimen inter Malos, quæ vulgo pumilæ dicuntur, & illam, quam sub nomine* Mali horææ, quæ pumila vulgo, instar Arboris *cum reliquis nostris describimus. Multæ etiam hic frumentorum species traduntur, quas jam cultas, & in suos ordines digestas in commentariolis nostris legimus. Porro, etsi adhuc rei Botanicæ rudis, & inexpertus essem, probe tamen universalem illam, quæ omnibus vegetabilibus accommodari potest, tenebam. Quid enim aliud est Botanice, nisi universalis Plantarum cultura? Sed inter cæteras utilitates, quas mihi per illam vivendi consuetudinem comparavi, hanc præ cæteris pono: me imparem futurum fuisse ad hoc durum ministerium exercendum, nisi assiduis illis laboribus, & impigro vivendi usu corpus a puero firmassem, quippe a nativitate infirmum habueram. At mirum est quam cito convaluerim. Ita igitur brevissimo temporis spatio factum est, ut animus in corporis laboribus non languesceret, sed patiens frigoris, vigiliæ, inediæ, sitis, laborante illo, non laboraret; & corpus vicissim animi incitamenta non sequeretur tantum, sed præcederet; non facile in æstu subsidere, nec hyeme torpere; fame, siti, nisi quantum necessitas urgeret, non moveri; atque hæc naturalia desideria non ciborum apparatu aut cultu, sed necessario usu restinguere. Ausus etiam sæpe sub dio corpore humi strato, requiescere: providente quidem animo ea, quæ posterioribus annis ventura erant, cum toties in asperrimis montibus necessitate adactus in antris, in rupium hiatibus, aut etiam sub aperto cœlo noctes traduxi.*

*Confirmata vero ætate, naturalium rerum studia suscipiendi certum consilium cepi, commoto & accenso animo fama, & gloria clarissimorum Virorum Cartesii, Malpighii, Redii, & aliorum, qui præterito seculo floruerunt.*

*ruerunt. Et, cum nobilissima, & celeberrima esset in tota Italia Malpighiana Disciplina, Patavium me contuli ad summum Virum cum omnibus literis ornatissimum, tum re Anatomica cum paucis conferendum Joannem Baptistam Morgagnum, qui eamdem philosophandi rationem profitebatur, totusque in eo erat, ut Disciplinam illam non solum verbis, sed praeclaris factis illustriorem, quam accepisset, efficeret. Huic assidue audiendo usque ad hanc diem & publice & privatim operam dedimus; atque exinde siquid profectus in Medicis, siquid in Anatomicis fecimus, tibi, Pater optime, debemus. Tu harum omnium rerum fructum a nobis repetere, atque exigere pro tuo jure potes, quamvis ita exiguum, ut veluti degeneres arguendi simus, cum hactenus nihil & Te institutore, & Malpighio nostro gesserimus dignum.*

*Interea vero cum magis atque magis in dies celebrarentur Tournefortii postrema* Institutiones, *nullusque occurreret tam rei Herbariae vel ignarus, vel inimicus, qui existimaret tantum Virum aeternis honoribus non decorandum, ad Botanicem ferri, rapi, impelli, & majore studio, quam pro consuetudine agi, visus sum. Nocte, atque die menti occursabat nobilis illa eximii Viri in Orientales provincias peregrinatio, nobiliorque reditus haerebat animo, cum triumphantis more tot spoliis onustum Rex magnus excipiebat redeuntem. Itaque nulla mora interposita, eodem etiam Cl. Morgagno auctore, huic Philosophiae parti me addixi, tum quia a pueritia eo natura pronus, atque, ut dixi, ex parte illi assuetus jam eram, tum quia facilius animi cupiditatem explendam judicabam, cum viderem apud Botanicos plurimum valere motum, & laborem. Sed in hac re vide, Lector, nostram a communi consensu alienam sententiam.*

*Ut primum aliquis rem Botanicam pro sua virili au-*

*a* *gendam*

*gendam suscipit, statim sibi extremam aliquam Orbis partem proponit, & quo magis barbara, obscuraque jacet, eo illuc avidiore animo contendit. Quo ut primum pervenerit, confestim laus, & gloria sequitur; quarum nempe maximam sibi partem iter, & navigatio vindicant. Quod tamen haud iniquo animo dictum volo, nec ut aliquid summis viris detraham. At mihi contra visum fuit cum nobis gloriosius, tum populis nostris utilius, si unusquisque eam provinciam, in qua natus, & cujus nomen præ se fert, cæteris postbabitis, perlustrandam susciperet. Ita enim cavebitur, ne id nobis vitio vertatur, quod olim illi Philosopho, qui præposteris cogitationibus, dum remotiora, & cælestia averet, quæ circa se erant, minus attendebat. Præterea in perquirendis alicujus obscuræ provinciæ, aut regionis Plantis, omnem laborem, & operam id maxime consequitur, ut quæ regiones antea ignobiles apud nos erant, eas a clarissimis Viris initio memoria accepto, jam efferre, jam celebrare, & in pretio habere nos Botanici assuescamus. Ergo per ora hominum ibunt Guinea, Virginia, Perù, & aliæ barbari nominis provinciæ, & regna; Italia nostra silentio obvoluta relinquetur? Totum, ut ita dicam, coletur hic Caput Bonæ Spei, Guadalupa, Jamaica? Cultores nostri insueta, & barbara Plantarum nomina barbariore sono detorta fovebunt? Externis tantum regionibus ubique erit gloria? Sed nulla amplius habebitur ratio Apennini, Gargani, Baldi, Æquicolorum, Campoclarentium Montium? Obscuriores in dies evadent, & senio quasi quodam confectis sordescent?*

*Hac itaque prima fuit nostra sententia, & permanet eadem, omne studium, omnem laborem impendendum esse, totisque nervis incumbendum, ut quam diligentissime fieri potest, Italiæ partes rimemur. Hac enim ratione magnæ hujus nostræ Parentis meritorum partem*

*asseque-*

*assequemur, officia officiis pro virili rependendo; cum (conantibus singulis) nullum inglorium saxum, tumulus nullus, aut vallis sine nomine relinquetur. Hoc peracto, jam deficientibus nostris, novam arti nostræ, in externas profecti gentes, quæramus gloriam. Quid aliud præstitit amicissimus, & facile Botanicorum princeps Gulielmus Sherardus? Postquam & suis, & aliorum laboribus penitus patere sensit Britanniam suam, ne otio langnesceret, nonne Græciam petiturus navigavit, quam quindecim annorum spatio tenuit, confectam, ut ita dicam, absolutamque reliquit?*

*Ita ex animi sententia factum est. Italiam mihi proposui, partem hanc, quæ Cisalpina dicitur, tanquam provinciam mihi decretam suscepi, quæ & aptior visa est, & minus his temporibus perlustrata. Non me fefellit opinio. Quidquid exinde summis & animi, & corporis laboribus partum, & congestum teneo, hoc libello omnibus patefaciendum judicavi, ut mihi socios ad tantam rerum molem administrandam compararem. Cum enim viderem inveteratam augendæ artis desperationem inter nostrates versari, quæ quotidie a quorundam hominum somno, ventrique deditorum vocibus, & exemplo convalescit, ratus sum nullum aptius fore incitamentum ad erigendos animos nostræ juventutis, & ad bonam spem revocandos, quam novas, & in Italia detectas Plantas exhibere.*

*Itaque ad vos me convertam, optimi Italici nominis Juvenes, quorum in gratiam, quidquid aut præstitum, aut dictum est, factum, & dictum volumus. Siquis hæret Botanices amor, aut Philosophiæ studium, siqua erga communem Parentem hanc reverentia inest, & charitas, in communem hanc expeditionem descendite: nomina proferte. Non in extremas adducimur terras, aut in Indias rapimur. Italia decreta est nobis: in Italia merebimus. Est hic profecto materia laborum vestrorum,*

*rum; sunt præmia, & decora laudis: Quæ & quanta spolia, & eadem opima vobis promitto! Si brevissimo annorum spatia ego unus ducentas & duas supra septuaginta Plantas congerere potui, quæ sunt extra illas 16000 Cl. Sherardi, quot unanimi laborantes congeremus? Quanta nobis insignia, quanta Italiæ nostræ cogenus ornamenta? Spero equidem, cæteris posthabitis, celeberrimam in paucis futuram; nosque clariorem, ampliorenque, quam accepermus, posteris nostris tradituros. Quid cunctamini? Patiemini igitur æquo animo tam diu nobilissimam Artem apud nos sordescere; a vilissimo quoque pollutis manibus tractari, quam Reges, Principesque omnes pro majestate imperii exornant, intra regiam fovent, & cui, undique dimissis classibus, cultus, honoresque conquirunt? Non venit in mentem, quanto patrum nostrorum memoria in discrimine fuerit in Italia Botanice, cum nobis ab externis gentibus fuisset antiquissimum jus exeptum, ut tres illi Viri nostri nominis extitissent Bocconus, & nobilissimum par fratrum* Triumfetti, *quorum unum adhuc babemus DEI Immortalis beneficio superstitem? Eja, Juvenes optimi, animi virtute macti estote; jam vos socios, jam commilitones amplector. Me vel ducem sequimini, vel præcedite cohortantem.*

*Hæc plurima babui quæ dicerem de prima: ad alterem prænotionem venio; & primum dicam de ordine, quo Plantas omnes, meo privatim inserviens usui, dividere soleo. Has itaque bifariam separo: prima pars earum est, quæ certo ordine producuntur, atque generantur, semine nempe, vel gemmis; unde nobis* Certæ *dicentur; altera earum, quæ obscuro, & incerto; unde* Imperfectæ *babentur; quarum natura, productio, atque generatio adhuc ignoratur,* Incertasque *appellabimus. Pars autem illa prima rursus bifariam dividitur. Plantarum*

enim

enim certarum aliæ gemmas extra terram ferunt, aliæ non: illæ Arbores, & Frutices; hæ Suffrutices, & Herbas complectuntur. At vero cur a nobis tanta de gemmis habeatur ratio, de quibus vix ullam habent Botanici, hæc nimirum causa est. Compertum habemus gemmas non solum esse semini analogas, sed simillimas: satas nempe humi radices agere, germina ferre, seque in Arborem, aut Fruticem tollere, quemadmodum in bulbosis nucleos illos seu spicas, in Arundinibus autem, in Cannacoris, in nonnullis Graminibus gemmas illas sub terram abditas. Quum etiam adjiciam, esse ipsis seminibus anteponendas, si tam facile earum usus pateret. Semina enim simplex protrahendi generis præstare commodum, cum terræ mandantur: gemmas multiplex; ferre germen in mergis cum aereis, tum subterraneis; ferre in surculis, ferre in insitis, quorum species emplastratio quid aliud est quam gemmarum satio in Arboribus à Restabat unum, ut humi seminarentur, quod nos adjicimus. Qui vero cultus sit gemmis adhibendus, & quæ tempora attendenda in illo de terræ, & vitium cultura Libello agentes de propagatione dicemus. Quæ cum ita sint, apparet, quam jure ac merito ex gemmis petenda potissimum fuerit Plantarum Certarum differentia, cum etiam prohiberemur in semine, quippe omnibus Certis concesso. Hinc etiam manifestum est, Incertas, sive, ut alii dicunt, Imperfectas in alias minime separari, quod semine, gemmis, Floribus mulctari communiter creduntur; quare a Cl. Tournefortio ad XVII Classem rejiciuntur. Removentur autem cum ab Arboribus, & Fruticibus, tum a Suffruticibus, & Herbis propter gemmas, fructus, & Flores; hinc Incertæ; quoniam nec Arbores, nec Frutices, nec Suffrutices, nec Herbæ. Porro sciendum est, a nobis Incertarum nomine non comprehendi illas Plantas, quas poste-

*rior ætas ſemen, & Florem gignere deteχit; hæ enim ad Certas revocandæ ſunt.*

*Plantæ vero extra terram Gemmiparæ ſeu Arbores, & Frutices vel Florem* Perfectum *edunt, vel* Imperfectum *ſeu* Minus Perfectum. *Flos Perfectus eſt, qui conſtat petalis; & is vel unico, vel pluribus: Imperfectus, qui non ex petalis, ſed ex quibuſdam filamentis, ut Stamineus, Amentaceus.*

*At Herbarum, & Suffruticum nonnullæ ſemina tantum ferunt, mulitæ, ut communis eſt ſententia, Floribus: quare has dicemus* Imperfectas, *ſeu* Minus Perfectas, *quoniam ad perfectionem abſolvendam Flos deſideratur. Reliquæ vero, quæ ſemen, & Flores obtinuere,* Perfectarum *nomine venient. Hæ quoque, quemadmodum Arbores, & Frutices, vel Florem Imperfectum producunt, vel Perfectum; & hunc aut unico, aut pluribus petalis efformatum.*

*Hoc igitur ordine, qui mihi ſummopere contulit, ut hunc, ( quantuluſcunque eſt ) in re Herbaria profectum facerem, Plantulas baſee meas recenſebo, in reliquis fere religioſe Tournefortium ſectabor, quem Virum tantum valuiſſe in hac arte judico, quantum omnes Botanicos ſimul. Quare omni in honore ſemper a nobis habebitur, ſummoque ſtudio ejus memoriam colemus. Hunc etiam mihi liceat his proſequi verbis, quibus Epicurus longe impar philoſophus a ſuo ſectatore immodice effertur:*

Quis potis eſt dignum pollenti pectore carmen
Condere pro rerum majeſtate, hiſque repertis?
Quiſque valet verbis tantum, qui fingere laudes
Pro meritis ejus poſſit, qui talia nobis
Pectore parta ſuo, quæſitaque præmia liquit?
Nemo ( ut opinor ) erit mortali corpore cretus;
Nam ſi, ut ipſa petit majeſtas cognita rerum,
Dicendu' 'st: Deus ille fuit Deus *&c.*

*Infan.*

*Infinita enim sunt, quæ Tournefortio res Botanica debet, quæ revera ab illo ex tantis fluctibus, & tenebris erepta fuit, atque in ea tranquillitate, & luce collocata, in qua nostra ætate videmus: cui tamen plurima, & majora ornamenta a Sherardo expectantur. Quibus additis, supra omnes Philosophiæ partes ornatissimam, amplissimam, & nobilissimam futuram speramus.*

*Interea liceat nobis paululum declinare a Tournefortiano instituto, inverso nimirum tantum ordine. Ille ex Perfectis Plantis ad Imperfectas procedit, nobis optimum semper visum fuit ex Imperfectis per Perfectas ad Perfectiores, quasi per gradus quosdam, ascendere. Quocirca ducam initium ab Imperfectis sive Incertis, deinde transitum faciam ad Perfectas Herbas nempe, & Suffrutices; postremo perveniam ad Perfectiores, quæ sunt Arbores, & Frutices. At a Perfectis sejungam primum eas, quæ Floribus privantur, quas ante alias collocabo; reliquas vero non sine lege vagari passus, ita, earum Floribus spectatis, distribuam. Primo loco venient Apetalos ferentes; deinde quæ eos Petalodes producunt, quarum illæ, quæ Anomalis instruuntur, præcedent reliquas, sive Monopetalos gignant, sive Polypetalos; sunt enim, ut ita dicam, impatientes ordinis. Has, dum Polypetalos ferant, statim subsequi faciam illas, quæ Papilionaceos habent; hi enim Flores ob petalorum posituram videntur externe simplicioris formæ, quam Cruciformes, & Rosacei. Deinde ad Perfectiores conversus, ponam ante alias paucas, quas habeo Amentacei Floris. Reliquas autem, quæ Petalodem ferunt, utpote discordantes, in duas parvas colligam Classes, quarum prima Monopetalum, altera Polypetalum gignentes complectentur.*

*Verum haud ab instituto nostro alienum faciemus,*

*cum ad species sit descendendum, si hic in medium afferemus, qua ratione in perquirendis Plantis ad illas perveniamus specierum discrimina.*

*Ut primum itaque aliqua ignotæ formæ Planta sub oculos cadit, quam nec semen, nec Flores, nec gemmas ferre certum sit, statim ad Incertas demandatur, & ex loco, in quo reperitur, aut inter terrestres reponitur, aut inter aquaticas. Deinde, cum statutum sit a politioribus Botanicis in Incertis standum esse exterioribus notis, cum Floribus, gemmis, fructibusque multentur, ex forma & figura, aut aliquibus ex illis signis, ex quibus jusserunt, ut cujuscunque genus quæreretur, vel uni generi adscribitur, vel alteri. Mox spectatis omnibus ejusdem generis Plantis, aut una ex illis pronunciatur, aut non; si non, nova est; ex sua forma describenda. Hac ratione (ut specimen aliquod subjiciamus) Fungus ille noster detectus est; postquam enim cognovimus, eum nec gemmas, nec semina, nec Flores gignere, continuo ad Incertas tulimus; ex sede collina nempe, terrestribus miscuimus; deinde dedimus genus, videntes* capitulum insidens pediculo, parte convexa planum, concava lamellis munitum, *quæ symbola habentur Fungi. Postremo eundem cum notis omnibus Fungorum speciebus comparando, cognovimus nullis similem, nisi uni Columnæ, a quo tamen, quamvis accedere videretur, cum ex colore, tum etiam ex petioli extremitate haud bulbosa separabatur.*

*At si contra certo ordine gigni videatur, semine nimirum nasci, & semen producere, gemmis vero, & Floribus destitui, continuo palam erit, Herbam, aut Suffruticem esse, & inter Imperfectas reponendam: Herbam, si quotannis ex terra caulem educat; & perennem, si a radice, annuam vero, si a semine: Suffruticem, cujus caulis hyeme servetur, & germinet vere.*

Porro

*Porro in Classe posita Imperfectarum, seminis positio peculiarem illius ostendet locum, qui sectio a Tournefortio nuncupatur, & subinde adhibitis externis signis, & ejus genus, & certa species vel propria invenietur, vel nova adjicietur.*

*Inventa vero alia Flore, & fructu donata inter Perfectas reponetur, & quidem aut inter Herbas, aut inter Suffrutices. Mox ad Florem me convertam (Floris enim præcipua ratio habenda) is vel filamentis, vel petalis constabit; si filamentis, Imperfectus; si petalodes, Perfectus. Cum habeam Imperfectum, ad Imperfecti Floris Classem decurram; & fructum quam diligentissime perscrutabor. Hic est certum symbolum, sine quo nec sectio, nec genus, nec species agnoscitur. Fructus itaque aut pistillo exibit, aut de calyce fiet, aut ex utroque componetur. Utcunque autem, ante explorandus est; mollisne an durus, carnosus an siccus, solidus an inanis; num in capitulum colligatur, num in umbellam; adhæreat ne Flori, an longe nascatur. Ad hoc ramis an cauli insideat, nudus an involucro tectus, an calyce, & quali. Præterea qua magnitudine, qua figura præditus; magnane an parva, longa an brevis, rotunda an angulosa, nullius rei an alicujus imaginem referente, simplici denique an pluribus partibus composita. Ita quoque interne scrutabimur; an, cum externe durus, intus mollis, an vicissim; excaveturne in unum, aut in plura loculamenta, num sibi parallela, num pistillo, num partibus circumjacentibus, an e contra obliqua, aut transverse posita; quot seminibus farta, qualibus, nudis an cum pappis, quo ordine digestis, qua figura instructis, & ex qua parte se aperiendo fructus hæc diffundat, & spargat.*

*Hæc, & plurima alia ex fructu signa colligenda sunt; nam, ne aliquando deficiant, prudentis erit etiam illa*

*vetera*

*vetera ex radice, caule, foliis petita, tum externa signa adjungere. Quibus mature comparatis, quasi manu ducti, per genera omnia discurrendo, quæsitum & proprium invenimus.*

*Cum vero perventur ad species, signa omnia sunt undique colligenda, non solum illa superiora, sed alia cuncta vel minutissima, sive illa oculis, sive naribus, sive gustando, aut tangendo inquirantur. Huc adde quæ per anni tempora, & certas sedes, ut montes, valles, arva, colles, maria, paludes; quamvis ego quinque tantum contentus (qua fere alia cuncta amplectuntur) utar iis signis, quæ petuntur ex radicibus, caule, foliis, Floribus, & seminibus, dum has nostras gemmas extra terram non ferentes recensebo, addens cætera, ut tota Plantæ historia habeatur.*

*Quod si Flos sit Petalodes, continuo, sive simplex, sive compositus sit, forma & figura attendenda: an ad illas certas res Campanam nempe, Infundibulum &c. referatur, an nulli similis: nisi referatur, ad Anomalorum Classem revocabitur, &, qua fructu, qua Flore adhibitis, facile per gradus ad species pervenietur. In Floribus semper figura maxime spectanda, & petalorum partes, ac positiones perpendendæ. Quibus legibus ut standum est in Perfectis, & regularibus Floribus: ita his vestigiis insistendo ad quascunque species quamvis abditas, quamvis abstrusas ducemur.*

*Postremo occurrenti Plantæ gemmis, Floribus, & fructibus instructæ sedes quærenda est inter Arbores, & Frutices. Arbor noscetur, si unico feratur caudice; si pluribus, & humilioribus, Frutex. Subinde vero, eodem illo revocato ordine, quem supra recensuimus, erit ad species per gradus descendendum. Sciendum tamen est, nos præter illa superiora, novum aliud discriminum genus, in perquirendis Arborum, Fruticumque spe-*

cie-

*ciibus, adhibere, ex gemmis petitum: hæ, ut a nobis inter Principes Plantarum partes recensentur; sic in separandis illis, non inferiorem locum sibi pro suo jure vindicant. Ex his nos deducimus nonnullas species, & præsertim illam:* Quercum Dentis Leonis folio, gemma longioribus staminibus stipata, *de qua suo loco agemus.*

*At si aliquando ejusmodi invenias, ut vel ob discrepantem Floris formam, vel ob repugnantem fructum, minime in ordines cogere queas, tunc novum necessario creandum genus. Quod nos facere in* Tournefortia *nostra coacti sumus, quam cum vidissemus tum sub Valerianella genere quasi vi contineri, dissidente fructu, tum ab omnibus aliis respui, per se stare jussimus, aliunde accito nomine.*

*Est etiam quando idoneo non solum genere, sed & sectione caremus. Ut nuper in* Pseudochrysanthemo, *quod & a genere Chrysanthemi rejiciebatur, & ab omnibus sectionibus; idcirco nova instituenda fuit eo titulo:* De Plantis Flore Radiato, cujus pistillum abit in baccas in capitulum collectas.

*Quid denique non experti sumus in* Anonymodendro? *Quoties decepti antiquorum opinione hoc inter Mali species frustra rimati sumus? Quoties alibi quæsitum restituere tentavimus, contranitente Flore? Nonne postremo de Classe in Classem, de Rosaceis in Apetalas revocandum fuit, & hæc nova danda sectio (cum inauditum esset in Apetalis, Plantam ferre fructum carnosum)* De Plantis Gemmiparis Flore Imperfecto Apetalo, cujus calyx abit in fructum carnosum, multicapsularem?

*Hoc itaque ordine, hac via insistendo, Plantulas hasce deteximus, detectas probavimus, novissime typis vulgandas indicavimus. Quid enim antea faciendum*

d erat,

*erat, quod non fecerimus? Nostro judicio dissisi, maximam Plantarum partem Cl. Gulielmo Sherardo ( qui vir est in hac re communi consensu cæteris anteponendus ) hoc iter faciente approbandam exhibuimus; & subinde, ut his locus esset in illo de universali Plantarum historia Pinace, impertivimus exemplaria: quas vero ab illius discessu comparavimus fuere in navim Londinum velo facientem impositæ, ut simul ac in patriam reverterit, redderentur. Non enim est Philosophi, non Botanici, non denique nostri, rem Herbariam jam nimium magnitudine laborantem sua, falsis nominibus gravare. Illis hos fingendi, mentiendique mores relinquamus, quibus nulla alia industria superest, aut bona ars, illis liceat ex Botanicis monumentis Plantas compilare, verba, & sententias detortas in proprios usus convertere, & aliquando etiam partes integras sibi aptare, ut ita larvati in Botanicorum cœtus prodeant, inanem gloriam, vulgique laudes aucupantes. At ego, postquam tot labores, & pericula subiverim, tot sumptus fecerim, toties in ipsius vitæ discrimine sim versatus, num sanæ mentis judicarer, si Plantis subdititus, cum abunde suppetant & propriæ, & syncera, auram popularem captassem? Immo plurimas supprimere malui, de quibus mihi aliqua merat dubitatio, quam semel dubiam, incertamque exhibere. Sed & multas etiam sub cultura habeo; plurima terræ commisi semina, de quibus nihil certi, nisi futuris annis, statuendum arbitror. At, inquiet aliquis, nullius momenti Plantæ sunt, quæsitis tantum differentiis ex quibusdam exilibus notis; ideo a gravissimis auctoribus præteritæ, & neglectæ. Ego vero, ut his vocibus imperitorum hominum occurram, dicam primum maximam mearum Plantarum partem centum nimirum & tres supra octoginta istis objectationibus non patere; cum illarum discrimina non sub oculos tantum,*

*sed*

*sed & sub manus etiam cadant, tactu ipso nempe exploranda: qualia quidem discrimina ex radicibus numerum, foliis, caulibus, seminibus, & denique Floribus petita semper optimi quique Botanici attenderint non solum in speciebus determinandis, sed etiam in generibus constituendis, in quorum numero nonnulli ex recentioribus continentur, ex priscis autem cuncti. Quod vero ad eas Plantas attinet, quas ob varietates quasdam (quæ tamen minima pars est) addendas judicavimus, otiosi isti aliorum reprehensores sic habeant: ejusmodi varietatibus plenos esse non modo hortos, non modo montes, & campos, non modo hominum sermones, sed & ipsos Botanicorum gravissimorum libros, & sæpe etiam iconismos refertos esse. Hæc enim ratio semper apud Botanicos valuit, ut quidquid diversum, & varium in Plantis occurrisset, non illud quidem fortuitum, sed quod diuturnus experientiæ usus permanens, & stabile confirmasset, id non solum verbis, sed & figuris ab ipsis illustraretur. Quod & a nobis diligenter faciendum credidimus, debet namque, ut hæ omnes varietates, cum cadant aut in Flores, aut in semen, aut in folia, gemmas, radices, caules, quæ partes in Plantis præcipuæ, & principes sunt, locum, & nomen aliquod, sive commemorationem inveniant, idque eo magis necessarium putavimus, quo vulgo Botanici his, ut isti vocitare solent, minutiis frequentius tanquam instrumentis utimur, ut Plantarum partes clare & distincte explicemus. Insuper quis compertum habet neminem futurum ex posteris nostris, qui ex his non excogitet usum aliquem ad Medicam artem, aut commodum, utilitatemque ad vitam hominum juvandum, aut saltem ornandam? Mihi certe nescio quid non contemnendum præsagit animus, præsertim cum hoc anno expertus sim, aliam vim, virtutemque contra morbos inesse Gentianæ nostræ Asclepiadis folio ob florem, quem,*

*ut dicemus, languidum producit; aliam vulgari Gentianæ & cognatæ Asclepiadis folio C. B., quæ saturum ex cæruleo edit, etsi utraque ex eadem Alpe, ex eodem loco, terra, positione selecta fuisset. Sed de his satis in universum dictum sit; nam, si quid aliud necessarium videbimus, dum in recensendis singulis Plantis immorabimur, addemus; adjicientes, his absolutis, epistolam quandam, quam misimus Cl. eidem Viro Gulielmo Sherardo, in qua potissimum egimus de his, & de aliis Tabulis, quas cum nostris edituri sumus.*

*Quod reliquum est, Lectores nostros etiam atque etiam rogamus, obsecramusque, ut, quod ad stylum attinet, dent aliquam veniam vel Philosopho, vel saltem Botanico, cui illa omnia elegantiæ præsidia defuere, eruditorum hominum, librorumque copia, locus, otium, animi quies. Ubi enim litteratorum consuetudo inter solitudines montium, quorum incolæ aut feræ, aut homines rari, barbari omnes, mores, vocesque ferarum imitantes? Ubi loci opportunitas? In muscosis ne antris, quo noctu divertimus? Num librorum impedimenta sequuntur vix, quæ ad quotidianos usus necessaria sunt, summo hominum labore trahentes? Num vero nobis otium suppetit, qui tres anni partes peregrinando consumimus, reliquam, quæ tota quieti debebatur, Anatomicis administrationibus damus; Et si quid aut necessariis rebus, aut somno detrahimus, id consumere libentius in Philosophia solemus? Quare eos omnes, qui nobis familiariter utuntur, nostramque vivendi consuetudinem tenent, facile æquo animo dissimulaturos confidimus: reliquis hæc omnia a principio prænarranda duximus, ne ab nescientibus, indicta causa, condemnaremur. Sed de his quoque satis: finem faciamus tandem.*

Expli-

# Explicatio Nominum
## AUCTORUM REI BOTANICÆ, quorum mentio fit in hoc OPUSCULO.

BARR. *Icon.* Icones Plantarum per Galliam, Hispaniam, & Italiam observatarum ad vivum exhibitarum A. R. P. Jacobo Barreliero, Opus posthumum editum cura, & studio Antonii de Jussieu Medici Parisiensis. *Parisiis* 1714. in folio.

BOCC. *Mus.* Museo di Fisica, e di Esperienze di Don Paulo Boccone. In *Venetia*. 1697. in 4.

BOT. *Monsp.* Petri Magnol, D. M. Monspeliensis, Botanicum Monspeliense. *Lugd.* 1676. Ejusdem appendix, *Monspelii* 1686. Ejusdem Prodromus Historiæ generalis Plantarum. *Monspelii* 1689. in 8.

BREYN. *Prod.* 2 Jacobi Breynii Gedanensis Prodromus secundus Fasciculi rariorum Plantarum. *Gedani* 1689. in 4.

B. *Pin.* Caspari Bauhini Pinax Theatri Botanici. *Basileæ* 1671. in 4.

B. *Prod.* Caspari Bauhini Prodromus Theatri Botanici. *Basileæ* 1671. in 4.

C. B. *Thea. Bot.* Caspari Bauhini Theatri Botanici liber primus. *Basileæ* 1663. in folio.

CASP.

CASP. SCHWENCKFELT. *Stil. Cat.* Catalogus Silesiæ Stirpium, & Fossilium. Auctore Casparo Schwenckfelt. *Lipsiæ* 1600. in 4.

CHABR. Stirpium Sciagraphia, & Icones Auctore Dominico Chabræo. Med. Doct. *Genevæ* 1677. in folio.

CLUS. *Hist.* Caroli Clusii Atrebatis rariorum Plantarum Historia. *Antuerpiæ* 1601. in folio.

COLUM. *Part.* I. Fabii Columnæ Lyncæi minus cognitarum stirpium ΕΚΦΡΑΣΙΣ. Pars I. *Romæ* 1606. in 4.

COLUM. *Phytob.* ΦΥΤΟΒΑΣΑΝΟΣ sive Plantarum aliquot Historia Fabio Columna Auctore. *Neapoli* 1592. in 4.

DOD. *Pempt.* Remberti Dodonæi Mechliniensis, Medici Cæsarei, Stirpium Historiæ Pemptades sex, sive libri XXX. *Antuerpiæ* 1616. in folio.

EYST. Hortus Eystettensis, Basilii Besleri Philiatri, & Pharmacopæi Opera. *Norimbergæ* 1613. in fol.

GESN. *Hort.* Horti Germaniæ, Auctore Conrado Gesnero, cum Operibus Cordi Editi. in folio.

HORT *Cat.* Hortus Catholicus, Auctore Francisco Cupani. *Neapoli.* 1696. in 4.

Supl. Hort. Cath. Horti Catholici, supplementum primum ejusdem Auctoris.

H. L. *Bat.* Horti Academici Lugduno-Batavi Catalogus. Auctore Paulo Hermanno. *Lugduni-Batavorum* 1687.

HO.

HO. *Mau.* Catalogus Plantarum Horti Mauroceni Antonio Tita Auctore. *Patavii* 1713. in 8.

H. R. *Par.* Hortus Regius Parisiensis. *Parisiis* 1665. in folio.

J. B. 1. J. Bauhinus, tom. 1.
J. B. 2. J. Bauhinus, tom. 2.
J. B. 3. J. Bauhinus, tom. 3. Historia plantarum universalis. *Ebroduni* 1650. in folio.

JOAN SCHEUCH. *Agros. Prod.* Agrostographiæ Helveticæ Prodromus sistens binas Graminum Alpinorum hactenus non descriptorum, & quorundam ambiguorum Decades. Auctore Joanne Scheuchzero M. D. Tigurino 1708. in folio.

LOBEL. *Icon.* Matthiæ Lobelii Plantarum, seu stirpium Icones. *Antuerpiæ* 1581.

LUGD. *Hist.* Historiæ generalis Plantarum. *Lugduni* apud Guillelmum Rovillium 1586. in folio.

MATTH. Matthioli Opera C. Bauhini Synonymiis Plantarum, & notis illustrara. *Basileæ* 1598. in fol.

MORIS. *Hist. Oxon. Part.* 2. Plantarum Historiæ universalis Oxoniensis Pars 2. Auctore Roberto Morison. *Oxonii* 1680. in folio.

PON. *Bald.* Mons Baldus Joannis Ponæ Veronensis prodiit cum Operibus Clusii. *Antuerpiæ* 1691. in folio.

RAI. *Hist.* Historia Plantarum. Auctore J. Rajo e Societate Regia. *Londini* 1686. in folio.

RAI. *Synops.* Synopsis methodica stirpium Britanni-

ca-

carum. Auctore J. Raio. *Londini* 1690. in 8.

TABER. *Icon.* Jacobi Theodori Tabernæ montani Icones Plantarum. *Francofurti* 1590.

TOURNEF. *Inst. R. Herb.* Josephi Pitton Tournefort Aquisextiensis, Institutiones Rei Herbariæ. Editio altera. *Parisiis* 1700. in 4.

TOURNEF. *Cor.* Josephi Pitton Tournefort Corollarium Institutionum Rei Herbariæ. *Parisiis* 1703. in 4.

TRIUMF. *Syllab.* Triumfetti Syllabus Plantarum Horto Medico Romano additarum. *Romæ* 1686. in 4.



COM-



# COMPENDII

## *PARS PRIMA*

## DE PLANTIS INCERTIS;

## *Quarum natura, productio, atque generatio vulgo ignoratur.*

### CLASSIS UNICA

*TOURNEFORT. XVII.*



CUM Incertarum Plantarum, ut dictum est, ignoremus naturam, cogimur ab externis omnino signis petita discrimina adhibere, ut aliquo saltem pacto altera ab altera distinguatur. Hujusmodi generis hæc sunt primum ex loco natali desumpta, quibus hasce omnes Plantas bifariam separamus, Incertarum enim Plantarum aliæ Terrestres dicuntur, aliæ Aquaticæ. De Terrestribus nos hic tantum pauca dicemus, Aquaticas omnes prætereuntes, quoniam in præsentiarum nihil his addendum habemus.

# PARTICULA UNICA

## *De Plantis Incertis, quæ Terrestres dicuntur.*

### FUNGI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Fungus Collinus candidus, duplici pileolo, seu Lacunibus.*

TErrestrium itaque Plantarum duas tantum habeo species, quarum prima est hic Fungus, altera, quod proxime sequetur, Lycoperdum. Hunc Fungum in apertis, & aridis Collibus, vere & autumno legimus, fere semper circa eadem loca natum. Cujus generationis origo aut causa nulla invenitur, si enim circa petioli extremitatem, quæ solo demittitur, diligentissime scalpatur, terra tantum eruitur, putris, seu sordida, & macerrima. At nihilominus in magnum crescit corpus, candidumque totum. Ita petiolus candidus est, ac solidus, cujus altitudo semissem æquat, ab una extremitate, qua alimentum excipit, aliquantulum crassescit, nullis tamen fibris adhærentibus: in altera vero pileolum sustentat, candidum in externa superficie, cujus internæ parti lamellæ illæ pectinatim adhærentes, veluti radii a centro ad peripheriam ducuntur, nigricantes, & trientales. A medio petiolo surgit labrum quoddam amplexicaule, in exortu angustum, mox in formam infundibuli expansum, (quemadmodum in fullonum Dipsaco videmus folium in concavum alarum sinum exire, in quo imber, aut ros asservatur) candidum utrinque, sed tenuioris substantiæ. Porro caro totius Fungi densa, solida, ac candida est, additisque conditutis exquisiti saporis, ideo in cibum expetita.

Alius hic est, & diversus a *Fungo quercino dipsacoides* COLUM. *Part. 1. 337.*, sive *Fungo bulboso, fusco duplici pileolo* C. B. *Pin. 371*; quippe noster nec bulbosus, nec

nec fuscus, nec quercinus. Quare non a ratione alienum faciemus ab hujus icone, cum primus quoque ordine sit inter nostras Plantas, Tabularum nostrarum initium ducentes, in qua potissimum appareat extremitas illa petioli non crassa quasi *capitatus bulbus*, neque radiculis instructa.

### LYCOPERDI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Lycoperdum Vallisnerianum*, Καρυώδης.

HAnc elegantissimæ structuræ Plantam debemus Cl. Antonio Vallisnerio, cujus in horto nata est; quem Virum honoris causa nomino. Hujus inter cætera animi ornamenta, tanta est peritia & cognitio historiæ Animalium, minutorum præsertim, ut per ipsum nobis Redius, & quicunque alius, qui in hac Philosophiæ parte habitus fuerit sapientissimus, redditus fuisse videatur. Hic quoque pro sua humanitate extitit nobis princeps ad suscipiendam & ingrediendam suorum studiorum rationem.

Lycoperdo igitur huic magnitudo est instar ovi gallinacei, ut & figura. Parte majore sub terra latet ex fundo radicem modo unicam, modo geminas producens, exiles, quadrantales, in fibrillas divisas, & humi sparsas: minore extra eminet. Porro ponderosius est quam pro magnitudine, ejus autem internæ structuræ Anatome ita se habet.

Cortice quodam crasso subrubicundo, qua parte subsidit, & rugoso, albido, qua superest, & explicato externe vestitur. Quo detracto, orbis sequitur materia viscida, muccosa, & subalbida refertus, crassus si ad totius diametrum referatur trientem, separaturque ab interno corpore membrana albida externe, intus candida, crassa quidem & firma. Hæc radicibus originem præbet, eæque per hanc diffunduntur & denique desinunt (non enim interiora penetrant). Alter de-

inde venit orbis densioris substantiæ, colorisque obsoleti & pulli, hujus quoque crassitudo ad totam diametrum est trientalis. Porro pars ea orbis inferior, quæ radicibus subest, deficit; & membrana illa exterior, ex qua radices oriri diximus, toto eo intervallo, quod a materia orbis secundi inane relinquitur, alteri & interiori membranæ adhærescit. Hæc autem quoniam a parte convexa in corpora anfractuosa, ac candida (quibus per secundi orbis materiam extenditur & diffunditur) crispatur, non recte membrana dicenda esse videtur; sed nos hoc nomine appellavimus, ob interiorem & concavam superficiem, qua expolita est, & plana, ac etiam candida. Membranæ etiam minus subit, cum undique obducat corpusculum quoddam, solidum, oblongum, & candidum, quod nucleum dicere soleo, in cujus gratiam exteriora omnia fabrefacta videntur. Hoc transversim secto, apparent fibrillæ a circumferentia ad centrum delatæ ferri, inter quas spatiola & cellulæ relinquuntur humore albido & limpido plenæ. Similiter circa centrum magna adest cavea eodem referta succo, cujus quidem ut & reliqui corporis nullus est sapor.

Ita fere internæ partes se habent: at qui earum sit usus, me prorsus fugit. Dicam tamen nonnulla quæ ad clariorem historiam pertinere visa sunt, nihil autem pro certo asserendo, sed omni cohibito assensu. Suspicor itaque non solum per radices, sed & per totam corporis partem, quæ humo adhæret, nutrimentum deferri, ut per ova defertur Lacertarum Chamæleontumque, unde nutriuntur, atque crescunt; principio permeare orbem primum; deinde purius & simplicius secundum. Hujus officium mihi videtur analogum quodammodo utero, corpora autem anfractuosa interioris membranæ esse placentæ vice, nam in illum orbem ex omnibus partibus alimentum depluit, quod deinde subit hujus membranæ poros, non absque

quæ summo consilio ita expansæ & productæ; & postremo a nuclei fibrillis imbibitur, quæ sic disponuntur, ut exceptum ad interiora transvehant. Omnibus autem partibus extensis & absolutis, humor ille in medio contentus, novo semper a tergo accedente, impetum hinc inde facere, & quoquoversum vi erumpere tentat; &, dum innixi humo undique parietes resistunt, a superiore parte repetitis conatibus viam sibi aperit, & foras evadit. An vero semen una inveniatur, quod tunc secum raptum diffundat, non ausim affirmare.

Tanta machinatio sibi pro suo jure poscere visa fuit, ut ne tam jejunis verbis traderetur. Dabimus quoque operam, ut tota sit in exprimendis partibus artificum manus, quando nos tanta curiositate confectati sumus.



COM.

# COMPENDII
## PARS ALTERA
## DE PLANTIS,
## *Quæ certo ordine producuntur, atque generantur.*

### DIVISIO PRIMA

*De Plantis, quæ certo ordine producuntur, atque generantur, gemmas non ferentibus extra terram.*

### DIGESTIO PRIMA

*De Plantis gemmas non ferentibus extra terram,* Minus perfectis; *quarum semen solum notum est, flos autem vulgo desideratur.*

### *CLASSIS UNICA TOURNEF. XVI.*



ADEM de causa quam supra innuimus, in his quoque *Minus Perfectis* Plantis recensendis, exterioribus notis standum est; nam, etsi semen ferant, est tamen ita exiguum, ut ejus figuram nulla ratione oculus inermis percipere possit. Quare, cum ex seminis forma nequeamus, a positione & loco, in quo nascitur, prima discrimina desumimus. Hinc has omnes Plantas in duas partes separa-

ramus Botanici : in prima collocantur quæ fructum foliis innatum ferunt, in altera quæ non ferunt foliis inhærentem, sed alia ratione in capitulum nimirum collectum, aut in racemum &c. . Primæ partis plura genera Plantarum sunt : ego recensebo illa tantum quibus subjiciam species, Filicem nempe, Lonchitidem, Polypodium, Rutam Murariam, & Filiculam: Alterius autem & pauciora sunt, & duo solum a nobis commemorabuntur, Lichen, & Muscus. Nunc superest, ut ordine incipiamus.

## I. PARTICULA

*De Plantis* Minus Perfectis, *quarum fructus foliis innascuntur.*

### FILICIS SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

Filix Graecè πτερὶς idest parva ala

ANntequam tamen Filicum descriptiones aggrediar, necessarium duco quarundam vocum explicationem præmittere, quibus uti soleo in describendis Filicibus, Lonchitidibusque, & aliis, hæ enim mihi visæ sunt plurimum conferre, ut clare & distincte, quam maxime fieri potest differentiæ illæ exponerentur.

Nam cum Filices, Lonchitides, & aliæ simillimæ suum in foliis ferant semen, non amplius considerandæ sunt, quasi foliis tantum constent, ut credebatur ab Antiquis, sed veluti Herbæ quædam totidem caulibus instructæ, quot in singulis sunt hujusmodi folia. Hi autem caules ut suos ramulos & folia habentes. Itaque *Caulis* nobis erit costa a radicibus erumpens, quæ ad apicem usque producitur, *Ramulus* qui a caule seu costa nascitur, & quæ a ramulo *Ala* ad similitudinem avium (hanc distinguimus a ramulo, quod brevissima per latitudinem extendatur, ille sit longe lateque diffusus). Rursus erunt *Pinnulæ* hinc inde ab alis ortæ. Quidquid autem a pinnulis progredietur

tur si grandiusculum *Foliolum*; sin minus *Dens* appellabitur. Porro si foliolum incisiones obtinuerit, hæ *Denticulorum* nomine venient, & semper eum dentata pars aliqua dicetur, aut denticulis instructa, levis brevisque in ambitu sectio intelligenda est.

His positis quæ postulamus, ut nobis concedantur: Filix vel est Ramosa, vel non. Ramosa est quæ ramulis, alis, pinnulis saltem instruitur, unde nostra prima *Filix ramosa, minor, pinnulis integris*, talis erit; insunt namque ramuli, alæ, pinnulæ. *Filix ramosa, minor, pinnulis dentatis* C. B. *Pin.* 358, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 536 ramulos, alas, pinnulas, & foliola possidet. Quamobrem breviter si definiretur: *Filix ramosa minor, foliolis integris*, statim omnes illius partes innotescerent.

Non Ramosa ramulis privatur; alæ & pinnulæ necessario insunt, & alæ a caule sive costa nascuntur, cætera autem ut foliola, & denticuli, si concedantur, non recusat. Alas & pinnulas solum habet nostra secunda, & ea ratione dicta *Filix non ramosa, pinnulis dense positis, integris, & extreme planis*. *Filix non ramosa, dentata* C. B. *Pin.* 358, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 536 alas, pinnulas, & foliola nacta est. *Filix non ramosa, petiolis tenuissimis & tenuissime dentatis* C. B. *Pin.* 358, sive *Filicula petræa fœmina* TABER. *Icon.* 797 alis, pinnulis, foliolis, denticulisque constat.

Ex his itaque voculis tantum beneficium consecuti sumus, ut, positis illis sive definitionibus, sive potius descriptionibus, nihil aliud desiderandum sit, quam modus crescendi, & locus sedesque natalis, quibus additis, nihil præterea est, quod sit Lectorem immoraturum.

At quoniam omnes hujus classis Plantæ, sive fructus ferant foliis innatos, sive non, partibus hujusmodi instructæ sunt, quæ facile sub scalpellum cadere possint, ne de singulis id iteremus, satis erit hic uni-

versim indicare, omnibus certam sedem certumque honorem in Tabulis nostris mansurum. Nunc denique Filices describamus.

*I. Filix ramosa, minor, pinnulis integris.*

Cuicunque sub alpestrium montium radices occurrit plurimis caulibus, sesquipalmaribus, qui statim a terra sex digitis ramosi fiunt; ramuli bini & bini ex adverso nascuntur, & ex his alæ usque ad caulis medium longiusculæ, & alternatim positæ, in reliquo caule binæ & binæ pari intervallo sibi respondentes, ac breves; at pinnulæ integræ sunt. quibus peculiariter hæc Filix opponitur *Filici ramosæ minori* J. B. 3. 741, sive *Filici ramosæ minori, pinnulis dentatis* C. B. *Pin.* 358, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 536.

*II. Filix non ramosa, pinnulis densissime positis, integris, & extreme planis.*

*III. Eadem, sed alis inferioribus ex adverso binis & binis, pinnulisque leviter dentatis.*

Nascitur utraque in stillicidiis montium, in opacis, & uliginosis saltibus, altitudinis sesquipedalis: illa quidem dissimilis omnibus, hæc vero privatim *Filici non ramosæ dentatæ* C. B. *Pin.* 358, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 538. *Filici mari* DOD. *Pempt.* 462, cum pinnulis dense positis, & alis binis & binis ex adverso, tum facie quadam sibi propria.

*IV. Filix non ramosa, alis, & pinnulis inter se distantibus, sed pinnulis longis, & dentatis.*

Vidimus hanc in Euganeis collibus inviis vallibus abstrusam, magna manu legendam pars illa fert, quæ profundissima inter Ruam & Vendam montes aperitur. Surgebat autem duorum pedum altitudine, maxima, unius minima. Cætera ex descriptione patent.

V. Fi.

*V. Filix non ramosa, minor, pinnulis magnis, longis, & profunde dentatis.*

Dicimus *pinnulis profunde dentatis* habita ratione præcedentium; nam si vel sine hac relatione profunde sectæ invenirentur pinnulæ, foliola dentata pars esset dicenda.

Quæcunque montium inviseris loca, sive per diruptas angustias, & asperas Rubis valles iter tentando, sive medios inter saltus, & cæduas sylvas, aut castaneta incedendo, modo loca sint ad septemtrionem conversa, passim hanc obviam habebis; gaudet enim umbris, aquosisque sedibus, in quibus felicior venit, licet ei crescendi modus intra septuncem circumscribatur.

*VI. Filix non ramosa, minor, alis, & pinnulis dense positis, sed pinnulis leviter dentatis.*

In iisdem locis, maxime in quibus & tertia nostra *Filix non ramosa, alis ex adverso binis & binis, pinnulisque densissime positis, ac leviter dentatis* consedit, nascitur hæc, a qua tamen distat, primum quod alas haud binas & binas sibi respondentes fert, sed alternatim; deinde quod densiore agmine eas explicat, postremo quod altitudinis est quincuncialis.

*VII. Filix parva, alis rarioribus, & pinnulis brevibus, dentatis.*

Non est hæc quoque Filicis species omittenda, quæ in similibus sylvis, umbrosisque locis promiscua viget, facileque ab omnibus aliis distinguitur. Ex caule fere dodrantali alæ alternatim oriuntur, longiuscula intercapedine distantes, quæ eadem spatii proportione totum caulem exornant, his pinnulæ angustæ, brevioresque exeunt, in ambitu sectæ, & ita elegantiæ plurimum ac pulchritudinis præ se ferentes.

*VIII. Filix non ramosa, alis, & pinnulis densissime positis, sed pinnulis longioribus, & in foliola dentata divisis.*

Cum hæc facile inter cæteras forma & elegantia emineret, quasi, humiles indignata penates, summa petiit juga, Fagos colens, earumque umbram sequens. Caulis autem altitudo ad sesquicubitum; alæ usque ad dimidium caulis pari spatio sibi ex adverso nascendo respondent at cæteræ, quæ reliquam caulis partem tenent, alternatim exeunt, eademque ratione, qua caulis contrahitur, fiunt breviores, angustioresque.

*IX. Filix non ramosa, minima, alis, & pinnulis dense positis, pinnulis autem latioribus, & dentatis.*

*X. Filix non ramosa, omnium minima, pinnulis in foliola sectis.*

Quoniam utranque humillimam novimus, ideo simul de his paucula more nostro dicemus. Nascuntur ambæ in montibus modo rimis saxorum insidentes, modo secus rupes, sed ubiubi sint, aquas ex superioribus stillantes sequuntur, Illa autem frequentior ac quadrantalis. hanc tantum legimus in Euganeis vallibus pusillæ quidem altitudinis, &, ut plurimum ad unciam redactæ.

*XI. Filix non ramosa, alis ex intervallo positis, & foliolis dentatis.*

Gignitur hæc quidem in montibus qua ad Septentrionem vergunt, sed densissima in vepribus Rubisque, difficilis collectu. Alæ ex caule sesquipedali exeuntes (si duos tresve ordines excipias, qui primi a terra occurrunt) non sibi ex eodem loco adversæ prodeunt, etsi parvo spatio distent, quod & in aliis observare licet. At duabus ortis, longa caulis pars interjacet, an-

antequam alius ordo nascatur, quæ distantia tertius quoque removetur a secundo, & ab illo quartus hac tamen lege, ut quanto magis ad caulis extremitatem acceditur, tanto brevius relinquatur intervallum. At pinnulæ ex alis ortæ, angustæ sunt, longioresque, nulla ex parte se tangentes, foliolisque instruuntur in ambitu sectis quidem, sed parum.

*XII. Filix non ramosa, alpina, alis rarioribus, & pinnulis sinuatis, foliolis autem dentatis.*

Sesquicubitum producta degit inter Fagos *Sinarum* Alpium, quam non solum pinnulis in sinus collectis, sed & peculiari forma, ac externo habitu differre vidimus ab omnibus aliis.

Quoniam vero hæc de *Sinis* admonuit, quas sæpissime in hoc Libello commemoraturi sumus, operæ pretium nos facturos speramus, si de ipsis aliquid indicabimus; præsertim, cum nulla (quod sciamus) extet apud Botanicos mentio.

Hæ Alpes contra Baldum ab Occasu collocantur, uno interfluente Athesi divisæ; quarum altitudine non contemnenda superata, amplissima excipit planities, nullis interrupta jugis, nam hæc in extremitate collocantur partim contra solis Occasum, partim contra Septentrionem (ex quo loco imminent Hallæ non ignobili oppido), quæ sibi longa serie committuntur. Quare vacuum illud immensum, ut ita dicam, spatium relinquitur, quod perpetuis panditur pratis, longe lateque porrectis, sed magis contra Orientalem regionem. Tantæ autem ubertatis solum, ut innumerabilibus armentis pascua sufficiat, novellis semper Herbis abundantia.

*XIII. Filix non ramosa, alpina, foliolis, quæ ad alas, rotundioribus, omnibus autem dentatis.*

XIV.

*XIV. Eadem, Vallis* Vette, *sed alis inferioribus oblique surgentibus.*

Has duas species conjunctim tradendas esse judicamus, quoniam eadem utrique est & partium structura & dodrantalis proceritas, adde quod in nascendo similem locum exigunt, nam illa in frigidis, & profundis Alpium vallibus posuit sedem: hæc tantum in feracissima Forojuliensium Alpium Valle, quæ hodie *Vette* vocatur, (quam princeps peragravit, illustravitque homo in re Botanica multi laboris nobisque amicissimus Antonius Tita Celeberrimi Horti Mauroceni custos). At diversas id reddit, quod alæ huic non in eodem plano, ut fere omnibus non ramosis contingere videmus, jaceant, sed quæ primæ nascuntur usque ad caulis dimidium, paulum declinent, & hinc inde obliquæ surgant ramulos æmulantes.

Porro illam, quæ ubique in Alpibus reperitur, in usum medicum revocant alpicolæ ad cruentos mictus utentes. eo enim morbo laborantibus aquam, in qua Filicis radices coxerunt, propinant, & ita tam seipsos quam armenta gregesque curant. Quam tamen *ἴσχαιμον* vim & quibusdam aliis Filicibus inesse cognovi.

*XV. Filix non ramosa, palustris, exilis, alis ex intervallo nascentibus, & pinnulis integris.*

*XVI. Eadem, sed alis binis & binis egredientibus.*

Nascuntur ex palustribus campis, quos autumnales pluviæ tota hyeme inundant, latent nimio humore depressæ, dum aqua eminet, hac autem remittente, sub extremum Ver erumpere, germinare, & tolli festinant, citioresque brevitate temporis confirmantur. Modus vero crescendi intra pedem cum dimidio continetur. Distant porro inter se, quod huic alarum ordines ex

co-

eodem loco oppositi nascuntur, illi non sibi ad exortum respondentes prodeunt; & quod hæc in Tarvisino tantum agro a nobis inventa, cum illa multarum regionum sit indigena. Cætera eadem utrique.

LONCHITIDIS SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

λογχῖτις. lanceata

*I. Lonchitis exilis, pinnulis integris, & latis.*

*II. Eadem, sed pinnulis angustioribus.*

*III. Lonchitis exilior, pinnulis omnium minimis, & crenatis.*

*IV. Lonchitis exilis, pinnulis longioribus, dentatis.*

UT hæ quatuor similes nanciscuntur sedes, montibus nempe non asperis insidendo, vel secus rupes, aut vallium prærupta, interdum etiam ad clivorum radices, ita æquali fere altitudine surgunt, quæ revocanda est ad semissem, dummodo neque macerrimo solo laborent, neque nimia ubertate luxurientur. Non omittendum autem est, Lonchitides, quas hic recensemus, tum has quatuor jam descriptas, tum quæ proxime sequentur, esse spinis asperas.

*V. Lonchitis, alis ex intervallo nascentibus, & pinnulis lateribus, dentatis.*

Vidimus in montibus medias inter valles, qua profundissimæ patent, neque semel vidimus. Ibi hæc inter Muscos Lichenesque posita sede abdidit sese non patiens Aquilonares perflatus. Producit autem caules vel pedi æquales, vel paulo minores.

*VI. Lonchitis alpina, alis brevioribus, pinnulis latis, dentatisque.*

Quæ hanc nutriunt Alpes asperrimæ & editissimæ sunt, sepiuntque eam excisis undique saxis, & objectis rupibus. At ea inter hiatus & diducta juga jacet

cet

cet abstrusa, non facilis visu, quamvis sesquipedem longa, nisi partes omnes quam diligentissime perquirantur.

*VII. Lonchitis pinnulis ex intervallo positis, & quæ ad caulem majoribus, & in fibula divisis, cæteris autem dentatis.*

Quisquis hanc volet colligere, postquam venerit Arquadam agri Patavini vicum immortalis Petrarcæ sepulchro nobilem, necesse est, ut primo superato colle, qui vico imminet, paululum per illius clivum contra Borealem regionem descendat in subjectam vallem. Ibi facile quam frequentissimam inveniet circa stillicidia promiscue inter congeneres natam, sesquipedalis proceritatis. Ego certe tantum in hac valle inveni.

*VIII. Lonchitis alpina, pinnulis dense positis, latioribus.*

*IX. Eadem, sed densissimis spinis.*

Nullum unquam tam præruptum superavimus jugum, nullam Alpium perlustravimus vallem, quibus hæ sese non obtulerint: quas simul ac respeximus, non dubitavimus quin ob spinarum crebritatem & ordinem diversæ essent habendæ a *Lonchitide aculeata, majore* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 538, seu *Filice aculeata, majore* C. B. *Pin.* 358.

*X. Lonchitis alpina, minor, alis, & pinnulis ex intervallo nascentibus, sed pinnulis longioribus, atque dentatis.*

Tenet hæc anfractus callesque Morsuplani, sive, ut vulgo dicitur, *Morsuplani* (hic quoque mons magna pars est Feltrensium Alpium adhærens jugis *Vette* dictis ab oriente sole,) quam cum noscamus similitudinem obtinuisse cum octava nostra *pinnulis dense positis, latioribus*, non omittendum est, quod ab illa discernitur

tur tum pinnulis dentatis, & caule humiliore, tum propter alas longiusculis spatiis nascentes.

*XI. Lonchitis alis, & pinnulis densissime positis, sed pinnulis angustioribus.*

Idem Morsuplani mons, qua ad occidentalem regionem vergit, hanc gignit circa arcta & confragosa loca. Cubitalis fertur altitudinis, densissimis omnium, quas unquam viderim, cum alis, tum pinnulis instructa. Itaque hanc separamus ab octava nostra *Lonchitide alpina, pinnulis dense positis, latioribus*, & ob eximiam partium densitatem, & quia brevioribus alis constat, pinnulis quoque angustioribus, exilioribusque.

*XII. Lonchitis major, quæ vulgaris aspera, alis latioribus, longioribusque.*

Circa rupes Bassanensium jugorum (quem locum *Bocchette* vocant), quibus montes sibi invicem committuntur, invenimus frequentissimam: etsi non semper celsiora loca appetat, nam & sæpius colere vidimus implicatas flexibus vallium vias, ubi & *Lonchitis aspera* C. B. *Pin.* 359, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 538 promiscue nascebatur. Hujus proceritatem fere sequitur, aliquando etiam intra minorem altitudinem subsistit: nihilominus longe lateque alas producit, unde aliam constituimus, & diversam.

*XIII. Lonchitis minima.*

Hæc minima nostrarum Lonchitidum, & fortasse omnium, quæ ad nostram notitiam pervenere, peculiaris est Feltrensium jugorum, quorum inter saxa reperitur trientem alta. Quæ quidem non minore tanto caule, quanto densiore alarum positione, ambituque spinis crebrioribus armato, dirimitur a vulgata

*Lonchitide aspera* C. B. *Pin.* 359; etenim si parva nostra cum ea adhuc parva conferatur, statim aliam ab ea esse apparet.

POLYPODII SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Polypodium montanum, aliis longioribus, acuminatis, utrinque dentatis.*

HOc in montibus magna manu collectum habemus dissimilem Barrelierano *Polypodio ferrato folio Icon.* 38, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 540, quippe serræ ejus in dentulos dividuntur, ut ex icone paret: nostri dentuli manent indivisi.

Hoc Venetiis anno proxime elapso pro *Polypodio Vulgari* C. B. *Pin.* 359, quo passim utimur Medici, a quodam pharmacopola adhiberi mirati sumus. De qua re cum a nobis admoneretur, erubuit primum homo sexaginta annorum, deinde joco & urbanitate illusit, quod diceret, congeneribus eandem inesse virtutem. At istud, inquam, etsi verum in omnibus reperiretur (quod de aliquibus tantum compertum habeo), in hoc tamen minus verum crediderim; si enim Mesues prætulit Polypodium vulgare, quod in Quercus radice nascitur, ei quod terræ, aut muscosis saxis hæret, quod nimio incoctoque succo maxime ventriculo sit noxium, flatibus nimirum ipsum distendendo, atque etiam subvertendo: quid de isto dicendum non solum in vallibus uliginosis natum, sed perpetuo inutilique humore saturatis? Tum ille urbanius: ergo, inquit, plurimi habendum, nam ægroti nostri eo magis medicas potiones laudibus efferre solent, quo pluries sibi alvum dejecerint. Tunc ego destiti in illum rursus stomachari. Hæc dicta sint non ut censorium munus exerceam, sed ut Medici & Botanici officium explere videar, doleo enim & Medicam artem, & Herbarum usus sæpius culpari ob summam pharmacopola-

rum

rum imperitiam ignorantiamque, qui non congeneres solum supponunt Herbas, non adulterinas tantum, aut quæ sibi vicissim propriis virtutibus viribusque repugnent, sed & (horrendum dictu!) venenato succo infames hisce oculis aliquando video medicaminibus misceri.

RUTÆ MURARIÆ SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Ruta Muraria, tenuioribus foliis.*

*II. Eadem, latifolia.*

Rutæ murariæ differentias duas vidimus quantitate foliorum distinctas: illa brevia folia gignit & angusta, hæc lata & expansa. Prima nusquam in montibus rupibusque non invenitur: altera abditur in hiatibus, speluncisque vallis dictæ *delle Vette*. Porro conveniunt ambæ in altitudine cum *Ruta muraria* C. B. *Pin.* 356, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 541: cætera diversa producunt, illa minora, hæc majora, quæ, cum folia ipsi minime crispentur, alia & diversa habenda est a *Ruta muraria, alpina, latifolia* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 541, sive *Adianto albo, crispo, alpino* CASP. SCHWENCKFELT *Sil. Cat.*

FILICULÆ SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES,

*I. Filicula alpina, foliolis rotundioribus, & crenatis.*

*II. Eadem latifolia, & minor, foliolis dentatis.*

Quacunque per Alpes incesseris, sive per diruptas angustias, aut confragosa loca iter tentando, sive per valles frigidissimas discurrendo, & illa & hæc ubique obviæ veniunt. Saxis, ut plurimum, hærent radicibus multis, recipientes se in arctas & confragosas rupes, utraque multicaulis, utraque palma-

 ris,

ris, quamvis haud raro hæc intra minus altitudinis spatium subsistat. Formam utriusque, utpote ex descriptionibus habendam, prætermus.

*III. Filicula alpina, exilior, pinnulis in tenuissima foliola dentata divisis.*

In Morsuplani valle contra regionem Australem immane surgit dorsum, cujus suprema pars herbida quidem & gregibus invia, pinguia pascua præbet, at reliqua ita rectis saxis exciditur in præcipitem altitudinem, ut sit ipsis alpicolis capreis inhospitalis. Porro ad radices, qua crebris abrumpitur hiatibus, apta Herbis fedilia posuit; inter quas hanc quoque parvulam Filiculam nutrit, parvulam, inquam, nam raro ipsos præterit Muscos, nisi sescuncia minores. Abdidit autem natura his rupibus, nec patitur vulgari.

*IV. Filicula, quæ Adiantum album tenuifolium J. B., latifolia.*

Cum hæc quam simillima inveniatur ipsi *Adianto albo, folio Filicis* J. B. 3. 741, sive *Filiculæ fontanæ majori, sive Adianto albo, Filicis folio* C. B. *Pin.* 358, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 541 præterquam pinnularum magnitudine, dicendum solum superest de natali solo, non enim ubique nascitur. Duobus in locis legimus in Baldo frequentem, sed frequentissimam in *Merana* (mons est ad fines agri Vicentini altitudinis haud contemnendæ, ab occasu valli imminens, quam *Trissini Vallem* appellant), tantum qua parte contra Boream collocatur: oppositus enim Austro sterilis jacet, & confragosus.

II. PAR-

## II. PARTICULA

### *De Plantis* Minus Perfectis, *quarum fructus foliis non innascuntur.*

LICHENIS SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Lichen arboreus, cinereus, πλατύφυλλος, Cornucopioides.*

INter Plantas *Minus Perfectas*, quæ fructum ferunt non foliis insidentem, Lichen est, non ignobile Plantæ genus. Hujus species plurimæ memorantur ab Auctoribus rei Herbariæ eleganti & multiformi structura distinctæ, quibus nos quinque alias addendas existimamus, hanc nempe primum, quam jam descripsimus, deinceps reliquas quatuor.

Hunc igitur Lichenem *arboreum*, *Cornucopioidem* invenimus pendentem ex abietinis truncis in abditissimis montium sylvis, præsertim in præruptis *Valacciæ* rupibus. Porro *Vallaciæ* nomine (quod vernacula lingua magnam & amplam vallem sonat) montem dicunt in Feltrensi ditione, qui summo jugo Morsuplanæ jugis ab Orientali regione committitur, qua vero Meridiem spectat, perpetua supinitate descendit, qua autem Septentrionem, vastas rupes objicit, abruptus in præcipitem altitudinem. Ibi itaque gignitur palmum longus, cujus caulis planus, latus, integer, multis acetabulis cinereis ipse quoque cinereus ornatur: inde in lacinias diffunditur & explicatur, e quibus alia acetabula pendent.

*II. Lichen terrestris, coralloides, erectus, incanus, ἀπυλωτός.*

Hic contra terræ insidit, oriens passim in montibus una cum *Musco terrestri, coralloide, erecto, incano* C. B. *Pin.*

B *Pin.* 361; cui dissimilis, quoniam bracteis sive lamellis quibusdam albidis veluti desquamatur. Unde dicimus πεταλωτὸς, sumentes hic πέταλω loco bracteæ seu laminæ.

*III. Lichen montanus, coralloides, cornibus reflexis, πεταλωτὸς.*

Quo tempore & quibus in locis illum nascentem inveneram, hunc quoque rimando circa veteres muscosasque macerias deprehendi. Luxuriabatur autem, ut fit, plurimis cauliculis intense virescentibus, & in ramusculos ibat circa finem reflexos. Frondescebant cum cauliculi, tum ramusculi, non folia, aut frondes ferendo, sed squamulis, aut bracteis asperabantur hinc albidis, inde viridibus. Porro cauliculorum mensura inventa sesquipollici æqualis.

*IV. Lichen terrestris, candidissimus, tabulatus, & ramosus.*

Forte esset, qui opinaretur, hunc teneri in Barrelierano illo Icon. 1277 *Lichene tubulato, cinereo*, nisi occurrissem illis verbis *candidissimus & ramosus*; quibus & figura satis, ut mihi visum est, declararetur, & differentia. Nam quid aliud addendum superest, cum passim in montibus muscosis super saxis reperiatur, pusillus quidem, & pollicaris?

*V. Lichen arboreus, Jacobææ cinerariæ folio similis.*

Quis tacitus præteriret tantam formam, quam & Cl. Vir Guilielmus Sherardus, ut ostensam a nobis vidit, en, ait, amice, quam viva Jacobææ cinerariæ imago? Ergo nos, quo nomine ille Vir princeps nuncupavit, tradendam duximus, cum satis omnes hujus partes per illa verba aperirentur. Vidimus autem semper in Alpibus longitudinis quadrantalis, qua pendentem

tem ex abiegnis corticibus, qua hærentem truncis, aut Cytisi Anagyridis folio, aut Fraxini.

MUSCI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Muscus terrestris, argenteus, squamosus, ramusculis in summo densissimus.*

TRanstulimus Muscos ab *Incertis Plantis* in has *Minus Perfectas*, quoniam fructus producunt vel ipso Tournefortio auctore, qui in *Inst. R. Herb.* 556 ita ait: *Musci fructus alii calyptra obvolvuntur, alii nudi sunt. Sub calyptra cucullata latet fructus plerumque quadrangularis, pulvisculo fœtus tenuissimo, in aliis vero foliorum clavæ adsunt capsulæ reniformes, quæ sponte rumpuntur, seminaque fundunt minutissima.*

In altissimis Morsupiani apicibus hic terrestris & argenteus Muscus in densissimam sylvulam crescit, sescunciam e terra tollitur cauliculus, squamosus extremitate tenus; deinde in ramusculos diffunditur, plurimos, compactos, quos candidæ squamulæ exornant. Non flectitur autem, nec reptat, sed erectus, cum alteri innixus fulciatur, ipse quoque alteri subit, & officio, ut ita dicam, officium rependit.

*II. Muscus squamosus, nigricans, sub aqua vivens.*

Caule solidiusculo, nigricante, & palmari surgit hic Muscus in fontibus, cinctus nigricantibus foliolis, breves, sed ex aliquo intervallo dispositos, emittit ramulos, quos folia vestiunt brevia quidem, nigricantia, & obtusa. Hæret autem profundiori loco, aqua duobus cubitis eum superante. Invenimus sæpe alveis molendinariis immersum, quibus aqua a montibus inducitur ad machinas versandas.

Porro tam dissimilis & diversus est a *Musco squamoso, foliis acutissimis, in aqua nascente* TOURNEF. *Inst. R. Herb.*

*Herb.* 554, sive *Musco aquatico*, *folio expanso* C. B. *Prod.* 154, qui passim reperitur, ut supervacuum sit utriusque differentias proferre.

*III. Muscus squamosus, aquaticus, medius, ramosior, nigricans.*

Cum mediam altitudinem nactus sit inter superiorem *sub aqua viventem*, & illum qui statim sequetur, nos dedimus inter utrumque sedem. Innascitur quoque iisdem aquis, quamvis, ut plurimum, reperiatur in profundioribus vallibus, qua se rivi insinuant, glareas circumplectens, quibus tam firmiter adhærescit, ut, etsi a torrentibus per tot saxa cespitesque usque ad radices montium revolvatur, adhuc tenaci, ut sic dicam, morsu eas teneat. Exilis vero, & nigricans est, inque plures dividitur ramusculos, nigricantes quoque, longiusculos, squamatosque, sed squamis brevioribus, angustioribusque.

*IV. Muscus squamosus, aquaticus, minor, nigricans, & ramosus.*

Quam verisimili causa dixerim hunc cognatum & similem Musco secundo nostro *squamoso*, *nigricanti*, *sub aqua vivente* (nam a tertio *medio* valde alienæ formæ judico) hinc apparet, cum, qui uni inest similium squamularum ordo, in altero quoque sequatur. Ergo iidem? Non ita: opponitur huic subdupla magnitudo, opponitur intensior color, opponitur crebrius ramusculorum agmen. At iisdem gaudet fontibus, lacunisque.

*V. Muscus squamosus, dendroides, ramosus, squamis eleganter hinc inde dispositis.*

Speciosam hujus Musci speciem ab aliis non descriptam proponere visum fuit, quam etiam ad dendroides Muscos revocavimus, tum quod veluti ligneo ni-

nitatur cauliculo, tum quod Suffrutex sit, producens quotannis ex suis ramusculis caulliculoque foliola seu squamas. Oritur autem in antris & profundis speluncis, caule solido, nigricante, & foliolis ex intervallo nascentibus exornato, quadrantalis fere altitudinis. In ramulis, quos plures gignit, squamulæ hinc & inde disponuntur, alterno ordine nascentes.

*VI. Muscus terrestris, squamosus, squamis densis, & capitulis parvis, rubris.*

In montibus, in sylvis, nusquam non obvius. Primum legimus circa summum Vallaccliæ jugum in angustum dorsum cuneatum. Exit cauliculus unciam implens, qui & squamis densis scatet, & quibusdam ramusculis in alios non abituris. Deinde a medio caulis producuntur capitula, quæ fere exeunt verno tempore, cum nive discussa, aperiri humus incipit, atque ipse cœlo solique redditur. Sunt autem parvæ magnitudinis, formæ oblongæ, rubrique coloris.

*VII. Muscus squamosus, terrestris, repens, squamis densissimis, viridibus, & nitidis.*

Amat hic montes & sedes amœnas, non ita nimirum siccas, neque item inutili humore madentes. Parvulus quidem, vix pollicem productus, foliolis autem (nam ramulos minime gignit) viridibus, nitidis, densoque agmine circumquaque subeuntibus, stipatur. Circa summum cauliculum autumnali tempore capitula erumpunt, singulis terna, quaterna, & etiam quina, rubra autem, suisque fulta periolis. Quod autem in definitione additum est *repens*, id intelligendum volumus de radice tantum, qua cauliculi propagantur.

*VIII. Muscus terrestris, squamosus, squamis albidis.*

In apricis collibus aridisque vivit, & densissimus

D lon-

longe lateque extenditur, largas occupans areas; verum adeo pusillæ altitudinis, ut perraro unciam prætérire viderim. Cæterum ob densitatem coloremque non inelegans. Capitula prope extremitatem, ut in aliis, erumpunt. Primum legimus in Berico Vicentiæ colle, illo quidem in tumulo, qui Deiparæ Templo eminet; mox larga manu in Verlaldo, qui agri quoque Vicentini mons est supra Trissini Vallem ab Oriente sole, de quo poetice Jo: Giorgius Trissinus.

*E de la bella val che inonda l' Agno,*
*Ricca di frutti e pretiosi vini,*
*Che poi fu Val de Tressino chiamata,*
*Quando fu retta dal cortese Achille,*
*Che tolse Charienta per mogliera,*
*Figliuola di Verlaldo e di Merana.*

IX. *Muscus terrestris, squamosus, squamis longioribus ex viridi pallescentibus.*

Invenitur per prona clivorum, & aliquando montium dorsis, si ad Boream convertantur, inhæret. Cauliculis constat semuncialibus, squamosis, sed tam denso agmine subeuntibus, & ita mutuo innexis confertisque, ut ex his lubricum iter reddatur non recipiens vestigia. Squamulæ, sive foliola ex illis ortæ longiusculæ sunt & densæ, quæ ex viridi in album languescunt.

X. *Muscus ἀφυλλ⊕, squamis in capitulum confertis.*

Prope *Peri* vicum, qui contra Baldum ad Athesim collocatur, & qua ad Germanos patet iter, cædua sylvula jacet crebris Betularum virgultis consita. Ibi natales fixit sedes elegantissimus hic Muscus, cujus cauliculi conferti nascuntur, pollicares, nudi squamulis, exilibusque villis subrufis obsiti, in extremitate filamen-

ta

ta plurima, viridia, atque longiuscula in unum collecta exhibentur.

*XI. Muscus tertius noster, repens, & exilis.*

Si Muscus hic noster *repens & exilis* conferatur cum Musco nostro tertio *Dendroide, squamoso, & ramoso, squamis eleganter hinc illinc dispositis*, eadem sequetur ratio, ac inter Herbam & Suffruticem: Ille quidem, dendroides, & longiusculus; hic tener, herbaceus, & pusilli admodum caulis. Sed uterque ramosus, & similibus hinc illinc foliolis obducitur. Nihilominus inter se discrepant, quod ille stando circa speluncarum oras, cavernosasque rupes viget: hic languente caule jacet, & reptat in altissimis dorsis, crepidinibusque montium.

*XII. Muscus squamosus, minor, capitulis de summo caule longo petiolo exeuntibus.*

Cum sit notus omnibus Muscus quidam, qui a Cl. Tournefortio *Inst. R. Herb.* 553 nuncupatur *Muscus squamosus, vulgaris, major*, a Rajo autem celeberrimo Anglo *Hist.* 122 *Muscus terrestris, latioribus foliis, major seu vulgaris*, quem novi huic quam simillimum, ratus sum, fore, ut noster in reprehensiones incideret, si nihil hic de utroque addidissem. Quare priusquam aliquis sector insurgat, ajo: utrumque similibus quidem obduci foliolis, utrumque non ramosum, utrumque ejusdem coloris, quid plura? unum perbelle alterum referre. Et hæc similia habent. At diversa magnitudinem imparem, hunc enim illius subduplum: fructum illi circa extremitatem caulis inter squamas oriri, & tegi: huic eodem quidem loco exire, sed longe progredi, rubroque fulciri petiolo, ad hoc grandiusculum esse, & rubicundum; denique etiam diversas nascendi sedes: illum vulgo, hunc tantum circa vinearum maceries, neque frequentem inveniri.

D 2 COM-

# COMPENDII

## *PARS ALTERA*

## DE PLANTIS,

*Quæ certo ordine producuntur, atque generantur.*

## DIVISIO PRIMA

*De Plantis, quæ certo ordine producuntur, atque generantur, gemmas non ferentibus extra terram.*

## DIGESTIO ALTERA

*De Plantis, gemmas non ferentibus extra terram* Perfectis.

## SECTIO PRIMA

*De Plantis Perfectis flore* Imperfecto, *sive* Minus Perfecto.

## CLASSIS UNICA *TOURNEF. XV.*

*De Flore Imperfecto Apetalo.*

FAGOPYRI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Fagopyrum vulgare erectum, calyce floris albo.*



HActenus de his Plantis dictum est, quæ nullam Floris formam adhuc Botanicis exhibuere: nunc transeamus ad illas Floribus exornatas, & primum ad Imperfectos Flores & Apetalos ferentes, quarum hanc, Cl. Tournefortium secuti, ante alias describemus. Etenim noluimus quicquam in generibus immutare, & si

si plerasque essent, quæ novanda judicaremus. Expectanda est Cl. Sherardi nostri expolita methodus, is quidquid a Tournefortio acerbo Fato nobis prærepto, & a quocunque alio aut prætermissum, aut non recte traditum, restituet quidem, omnibusque numeris absolutum redintegrabit.

Hoc itaque Fagopyrum ex illo Plantarum numero, quæ coloribus tantum a cognatis differunt, a Tabulis nostris princeps rejicietur (quod de omnibus aliis ita affectis intelligendum est), hic tamen haud omittendum, cum discrepet calycis colore a vulgari *Fagopyro erecto* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 511, sive *Erysimo Theophrasti, folio hederaceo* C. B. *Pin.* 27, quod calyce purpurascente proditur ubique satum. Nostrum autem ab aratoribus subalpinis frequentissimum per hanc Italiæ partem vidimus cultum.

BISTORTÆ SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Bistorta minima, spica candida.*

SÆpe miratus sum, quo pacto usque ad hoc tempus *hæc Bistorta, spica alba* Botanicorum oculos effugerit, qui profecto, quocunque inciderint, frustra aliquid frequentius perquirent. Occurrit in Summano, Occurrit in Merana, Occurrit in Baldo, in Bassanensibus, & Feltrensibus jugis, & denique ubicunque nascitur *Bistorta Alpina* C. B. *Pin.* 192, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 511, sive *Bistorta minima* J. B. 3. 539, quæ calycem floris, ex quo spica exornatur, purpureum gignit, & hæc præsto est, & frequentior.

Sciendum tamen est nos tam in Fagopyri, quam in hujus Bistortæ descriptione *calycem* loco Floris nuncupasse juxta Tournefortii, & aliorum ex recentioribus sententiam, qui hujusmodi Plantis nihil aliud, nisi Florem Apetalum, attribuunt, quod, an verisimile sit Botanicis judicandum relinquimus: nos certe, ut libere

lo-

loquamur, hasce Plantas ad petalodes referendas esse judicamus.

TRITICI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

*I. Triticum Siligineum, spica rufa, ex nigro maculata.*

DEscripturus sum plerasque Tritici species, quas obvias mihi per Cisalpinam Galliam iter facienti fors primum obtulit, deinde ego diu colendo tentavi. Harum prima hæc est, quæ inter vulgare Triticum aliquando reperitur, eo quo variantur glumæ, colore distincta. Non vero frequens adest, neque in singulis arvis, necesse enim est, ut is, qui magnum hujus spicilegium facere in animum sibi induxerit, multos, tempore messis, pertinaci labore percurrat campos.

*II. Triticum vernum, sive minus, spica alba, crebrioribus aristis.*

*III. Idem, sed spica tota subrufa.*

Cum hasce duas Tritici species Casp. Bauhinus in *Pinace* 21 in unam compegerit, vel saltem unicam tantum noverit, quam *Triticum æstivum* appellavit, nos ita divisimus; quoniam ob spicarum colorem ab inertissimo quoque colono internoscuntur. Dicimus autem *Vernum* non modo quod vere seratur, verum etiam ut certum addamus discrimen inter hoc, & commune. Nam sunt auctores (*ut* PORTA *lib.* 2. *Villæ cap.* 19, & JOAN RAJUS *Hist.* 1237) asserentes nullum intercedere, si sationis tempus exceperis, *se expertos esse*, ajunt, *commune Vere satum tulisse segetem*, quod & nos experientia cognovimus, licet minus reddiderit, quam ante brumam terræ ingestum. Quin etiam vidimus idem vernum autumno jactum melius respondisse. At ex his sequiturne, vernum, quod nos sæpissime collegimus,

mus, atque habemus, & quod ab omnibus fere frumentorum scriptoribus commemoratur, idem esse ac commune? Ubi enim (omissis aliis differentiis) in communi ille aristarum proventus, ubi tam eximius & constans ordo? Hæc tantum verno concessa sunt, quo nulla alia Tritici species nobis visa fuit munitior. Scimus enim omnes, in aliis Tritici speciebus mediam eandemque majorem folliculi partem in acumen desinere longissimum aristam dictum, aliam vero folliculi ipsius partem, quæ majori illi externe superponitur, vix acuminari. At contra in hisce duabus hæc semper in aristam abit, quare additum fuit in definitione *crebrioribus aristis*.

Hæ species feruntur vulgo promiscue: quæ sæpe perutiles a colonis laudantur ob anni intemperiem, hyemalibus vero provinciis præcipuæ, & necessariæ, quibus autumnalem sationem (quæ brevissima est ob intempestivum brumale tempus) aliqua oborta, ut fit, tempestas facile absumit. Unde confugiendum est ad vernum.

Porro, etsi extent in Botanicorum monumentis verni Tritici icones, dabitur tamen opera, ut diligentiores in Tabulis nostris tradantur, referentes præcipuum aristarum ordinem, frustra in vulgatis quæsitum.

*IV. Triticum, spica maxima, cinerea, glumis hirsutis, aristas numquam per maturitatem deponens.*

*V. Idem, aristis nigris.*

*VI. Idem, spica tota subrufa.*

*VII. Idem, spica subrufa, aristis nigris.*

Prima harum quatuor Tritici species an conveniat cum illa Cl. Raii *Tritico aristato, spica maxima, cinerea, glumis hirsutis, nostrate Hist.* 1238, *&* *Synops.* 245, ancipites

tes sumus ob id tantum, quod gravissimus Auctor de sua asseruit dicens: *quas tamen* (aristas nimirum) *non raro ante maturitatem amittunt*. At nostræ omnes, cum aridissimæ demetantur, ut dicemus, nunquam aristas deperdunt, etsi vehementissime agitentur cum a ventorum procellis turbinibusque, tum ab operariis ipsis, dum torridæ in manipulos colliguntur, & in acervos per stipulas raptantur. Sed utcunque est, certiores de hac re nos futuros quam primum speramus. Interea tamen delineationem harum nostrarum cudendam curabimus, nam, sive cum illa Raii conveniat prima, sive non, apud Botanicos iconismos (quod sciamus) adhuc non obtinuit, reliquas vero neque commemoratas legimus. Porro cum differant inter se varietate tantum colorum, unica figura cunctas complectemur.

*VIII. Triticum spica multiplici, aristis nigris.*

Similis est huic quoque glumarum natura, ideo & ordine sequitur. At spicæ maximæ, subrufæ, & villosæ, quibus vulgari illi *Tritico spica multiplici* C. B. *Pin.* 21, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 514, sive *Tritico cum spica multiplici, glumas facile deponenti* J. B. 2. 407 ita assimilatur, ut idem esset habendum, nisi aristarum colore (qui niger inest nostro, illi subrufus) separaretur. De granorum usu dicemus postea cultum quoque prosequentes, cum in universum quædam de cunctis speciebus indicabimus.

*IX. Triticum spica compressa, subrufa, grano subrotundo, albido.*

*X. Idem, aristis nigricantibus.*

*XI. Idem, spica alba, sine aristis.*

*XII. Idem, spica alba, aristis nigris.*

Seminantur hæ omnes species in collibus arvisque infe-

felicibus ( non enim feraces patiuntur campos,) idcirco montosis regionibus quam familiarissimæ. Porro herbescunt, radicibus plurimis & longiusculis actis, in folia latiora, & quam in vulgari, longiora, quo etiam culmus altior, firmior, & crassior extollitur; sustinens in sua extremitate spicam compressam, quadrantalem, aristis vallatam, sed brevioribus, subrufam in prima specie: in secunda subrufam quidem, sed nigricantibus aristis at albam in tertia, & muticam: albam quoque in quarta, & nigris obsitam aristis; quæ varietates perpetuo insunt. In omnibus autem glumæ seu folliculi granis subrotundis, albidisque intumescunt.

An vero nostrum XII. *spica alba, aristis nigris* contineatur in illo, quod C. B. *Thea. Bot.* 355 paucioribus verbis nominat, dicens *Apuli praeterea suis generibus vernaculis a folliculorum, & aristarum colore nomina imposuerunt: primum genus albo folliculo, & nigra arista est &c.*, quis Oedipus ex hac descriptione intellexerit?

Duobus iconismis comprehendam has quatuor species. altero tantum tertiæ: altero tribus reliquis inserviente.

*XIII. Triticum spica alba, aristis longioribus, semine parvo, sub rotundo, albido.*

*XIV. Idem, spica alba, utriculorum fasciculis ex intervallo dispositis.*

*XV. Idem utriculorum fasciculis ex intervallo dispositis, & spica subrufa.*

Sequuntur hæ species cognatione quadam superiores, quippe radices, folia, culmus, proceritas, grana, eadem. Diversa e contrario, & dissimilia, pauca: aristæ in his longiores, & spicæ trientales, quibus in decima quarta, & decima quinta locustarum fasciculi longiusculis spatiis ordinantur.

E Por-

Porro quæ partes a superioribus diversæ Tabulis signandæ sunt, ad spicas tantum, & aristas longiores reducuntur. Sed cum spicæ alia forma instructæ sint in decima tertia, alia vero in reliquis duabus, ideo harum diversitates separatim erunt repræsentandæ.

Antequam vero ad reliquas species pergam, paucula rursus dicenda habeo. Quis enim me plagiaria lege non conveniret, cum suppresso auctoris nomine, Triticum illud C. B. *Pin.* 21, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 512 *aristis longioribus, spica alba* iisdem usurpatis verbis pro meo mancipassem? Nam quid ei similius quam Triticum nostrum decimum tertium? At ego bona fide id factum assero, etsi enim hæ species facie similes sint, & externo habitu, velant tamen interiora quædam signa, quibus facile internoscuntur. Quæ profecto in nostro palam esse omnibus volui, atque ea veluti apud libripendem sum professus. Sunt autem illa in definitione addita *semine parvo, subrotundo, albido*, quod Bauhiniano Tritico magnum inesse, argumentum est, quod ille Auctor in *Thea. Bot.* 372, cum asserat *Triticum longioribus aristis, spica alba* nulla alia differre parte, quam *grano pulchriore, albo* a *Tritico longioribus aristis, spica cærulea,* cui *grana magna sunt, & dura*, in utroque magna gigni manifeste significat. Præterea additur: *ex quo farina alba, & delicata fit*, quæ ex nostro vilior, deterior, & ad panificium ineptior, unde grana tantum a furfuraceis vaginulis nudata in cibum, ut dicemus, integra excoquuntur. Adde denique, quod a Cl. Viro Francisco Cupani, qui Bauhinianum hoc Triticum colebat, ita describitur *Triticum autumno serendum, durius, sublongum, rubrum, intus peripheria nigrescente, medutullio albo Hor. Cat.* 218. At nostrum, & quæ illud sequuntur duæ species, granum ferunt non rubrum, sed albidum, non intus peripheria nigrescens, sed totum candidum, non oblonga forma, sed subrotunda præditum.

XVI.

*XVI. Triticum glumis versicoloribus, aristis nigris.*

Hoc quoque quibusdam signis cum Bauhiniano implicatur illo *Tritico aristis longioribus, spica cærulea*, glumæ enim varietate insignes, & aristæ longiores in utroque sunt. At semina haud magna, non atro-purpureo colore nitentia, sed parva, albida, candidaque farina referta in nostro: quæ in suo omnia contra præclari nominis Auctor memoriæ prodidit. Quocirca ei dissimile facile judicatur; a superioribus vero speciebus XIV. nempe, & XV. variis tantum folliculis aliud esse apparet.

*XVII. Triticum glumis variis, aristis longioribus, terno ordine egredientibus.*

Super omnes nostras Tritici species hanc memoratu dignam censemus, quæ ob eximium aristarum ordinem differt non solum a nostris omnibus, sed a quacunque alia quam unquam aut viderimus, aut legerimus. Nam, etsi inveniantur nonnullæ, quæ præter duos aristarum ordines, in medio ejusdem spicæ, cum grana perficiuntur, aristas exhibeant, sunt tamen hæ aristæ quam brevissimæ, & ad abortivas referendæ. At huic longiores & provectiores crescunt, colore subrufæ, quarum ordine tantum, & coloris discrimine hæc a superiore removetur. Quare separatim ab illa collocabitur in nostris Tabellis.

*XVIII. Triticum spica oblonga, compressa, rufa, aristis longioribus.*

*XIX. Idem, aristis nigris.*

Dicendum postremo & de his duabus: quas nihil prohibet quominus separemus ab illa specie, quam diximus *Triticum spicæ compressa, subrufa, grano subrotundo, albido*; spicæ enim his longiores, longioribus arman-

E 2 tur

tur aristis, quibus satur vividusque color rufus inest. Ergo, ut dissimilium, forma cælabitur, aristarum spicæque referens quantitatem.

Nunc expositis his, consentaneum est dicere aliquid & de cultu, & de usu, & primum de loco in quo cultum invenere. Hæc itaque frumentorum genera (Siligineum, & vernum præterimus, de quibus jam satis indicatum est) per Cisalpinam Galliam passim feruntur, montosis potissimum arvis, montibus namque gaudent, nullaque recusant arva, quamvis macerrima & summe jejuna. Ideo, quæ loca ob soli infelicitatem commune alere nequeunt, his montani agricolæ seminant, quorum grana mox mola nudant, & cocta, quemadmodum Hordeum solemus, in cibum adhibent. Ad panificium per se inepta habentur, quæ tamen cum communi Tritico subacta ex triente, panem conficiunt non ingrati saporis, laboriosis autem hominibus, quibus victus crassi succi necessarius est, perutilem. Compertum vero est, campestribus regionibus, & uberosis sata tantum nutrimenti haurire ob radicum copiam, ut partes omnes, nimiæ feracitati indulgendo, inutili tantum segete luxurientur. Etenim, laxatis atque turgidis fibrillis, & granis ex largiore humore, quam par est, intumescentibus, levi quacunque de causa motum succi reprimente, collabascunt tunicæ, & utriculi, flaccescentibus parietibus, ita cohærescunt, ut rursus quicquam admittere nequeant. Ergo grana strigosiora fiunt, atque ideo inutilia. At contra tenui & jejuno solo commissa, parce & duriter nutriuntur, & eo firmius adolescunt, facile deinde ventorum impetus & imbrium sustinent, cum humiliore & firmiore nitantur culmo. Si contingat, ut leves pluviæ derepente decidant, cum omnia validissimo æstu rapiuntur, quæ tantum summam humum madefaciendo, neque interiorem partem penetrando, cursum humoris veluti detruncent: non bis

ea

ea mala quæ supra commemoravimus, & quæ in his regionibus ab agrorum cultoribus *Nebbia* appellantur, timenda. Canaliculi enim contracti, etsi a tergo per aliquod temporis spatium non sequatur alimentum, non ita tamen, quod habent, decurrere sinunt, ut fibrillæ & grana relinquantur vacua. Lente igitur inter angustias procedente succo, vel externe humori alimentum vehenti redditur cursus, vel undique potente motu, etiam interne conquescit. Sed præstantissimum, quod conferunt agricolis commodum, illud est, provenire non modo crudo, exili, graciliquę solo, verum etiam postrema obruta, cum jam pruinis gelicidiisque infestata arva commune Triticum complexu suo fovere nequeunt, & elicere ex eo, antequam per hyemem corrumpatur, viriditatem. Hæ enim omnes species, quamvis tota bruma sub terra lateant, non vitiantur, sed ut primum aliquid laxamenti datur, radiculas extrudunt, & sub nive germinant. Porro tardius perficiuntur, licet ante Vigiliarum occasum earum satio festinetur. Quindecim fere diebus a communi metuntur, & metuntur aridissimæ, nam si acerbæ colligantur, neque facile in area glumis liberantur, neque quicquam præter furfuraceam misturam frigosa grana continent. Quod maturitatis tempus in communi attendendum non est, sed illius tunc opportuna est messis, cum spicæ & culmi æqualiter flavescunt, & grana subrubicunda fiunt, nondum ex toto indurata. Huic ob glumarum infirmitatem omnis cunctatio mala, torridum enim si demetatur, vi solis folliculi a grano abducuntur erigentes sese, quare & a ventis turbinibusque, & ab ipsis messoribus, in colligendis spicis, major granorum pars disperditur. At in nostris, & si culmi & spicæ nimium arescant, quoniam firmis rigidisque folliculis detinentur, non tam facile defluunt grana.

HOR-

HORDEI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

I. *Hordeum distichum, spica nitida, alba, Zea seu Briza nuncupatum.*

II. *Idem, candidis glumis, aristis nigricantibus.*

III. *Idem, aristis, & glumis nigricantibus.*

IV. *Idem, aristis nigricantibus, glumis subrufis.*

HÆ quatuor Hordei species nusquam in collibus & montibus sub alpinis non feruntur; unam tantum memini me legisse apud Auctores rei Herbariæ *Hordeum* nimirum *distichum, spica nitida, Zeam seu Brizam nuncupatum* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 513. *Zeam Brizam dictam vel monococcom Germanicam* C. B. *Pin.* 21, quæ nostrarum frequentissima colitur spicam nitidam subrufam ferens. Ab hac autem nostræ sic differunt, Prima, spica alba: Secunda, spica alba, & aristis nigricantibus. Tertia, cum aristis nigricantibus, tum glumis. Quarta, aristis tantum nigricantibus. Quibus varietatibus, cum hæ firmiter post culturam singulis adhærescant, eas quoque distinctas separatim ponere non dubitavimus.

V. *Hordeum alpinum, polystichum, spica breviore, granis confertis.*

Ad radices montium *Vette*, cum imminentibus tenebris ad tuguriola divertissem, hoc primum vidi, post vero passim per illam regionem coli a pastoribus ad solatium hyemis cognovi, quo deglubito, cocto, & lacte subacto brumali die laute vescuntur,

*Mutuaque inter se læti convivia curant.*

Ignavissime autem cultum (quis enim deterior colonus, quam pastor?) ob soli bonitatem facile agricolarum negligentiam sustinebat, haudquaquam ta-

tamen a reliquis frumentis purgatum, nam irrepserant & Socale, & species Hordei duæ *distichi* J. B. 2. 429, & *polystichi verni* C. B. *Pin.* 22, cui similia omnia producit, radices, folia, culmum, proceritatem, & denique grana (appetens & ipsum sationis tempus, ver) præter spicam, quæ uncialis in quinque granorum ordines suis aristis vallatos disponitur, unde peculiariter separamus ab *Hordeo distichо, spica breviore, & latiore granis confertis* RAII *Hist.* 1243.

MILII SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

I. *Milium arundinaceum, altissimum, panicula sparsa, pendula, & semine rubro.*

II. *Idem, sed semine luteolo, & compresso.*

Altissimæ inter cereales fruges hæ duæ Milii arundinacei species surgunt, vilissimæ tamen cujusque Milii generis: radicibus fibrosis, multis, firmisque nituntur, culmis sese extollentes ternis, quaternis, quinis, aut pluribus etiam ex ubertate agri, aut colonorum indulgentia. Horum autem altitudo incerta est, pendet enim ex fæcunditate soli. ut plurimum tamen crescunt ad pedes duodecim, aut tredecim, aliquando quatuordecim, perraro vero quindecim. Folia porro, caulis medulla, quantitas, atque internodia cum vulgati *Milio arundinaceo, sive Indico, semine subrotundo* C. B *Thea. Bot.* 510 communia prodeunt. Igitur ad paniculas sive jubas, quæ apud Plinium lobæ dicuntur, transeamus, ex quibus magnas recipiunt differentias. Hæ de summo caule ex vagina foliacea erumpunt dextantem longæ, sparsæ quidem ab ipso exortu, & circumvolutæ, quibus ex longis & exilibus ramusculis sive crassis filamentis, in primo rubris rubra, & nitentia grana, ac subrotunda pendent. in altero luteo-pallentibus luteola, & compressa. Has itaque spe-

species, quoniam apud Botanicos, & si vulgo solantur, certum honorem nondum invenere, in Tabulis nostris repræsentandas censemus, & quidem sub unica icone, Cum simillimæ forma sint, & magnitudine: utriusque tamen semen separatim delineabitur, quod & in superioribus faciemus, & in quacunque alia Planta, quæ ob figuram congeneribus dissimile semen produxerit.

*III. Milium arundinaceum, majus, vulgare, panicula unico ordine pendula, & semine rubro.*

Nunc simili modo de hac specie aliquid explanemus, quæ non ordine tantum, quantum ob quandam naturæ similitudinem sequitur. Invenitur vero inter commune Milium haud raro confusa, cujus modum crescendi, folia, radices, caules imitatur: in paniculis differt, has enim edit effusas quidem, sed ab una tantum parte deorsum revolutas, colore autem rubras. His grana pendent subrotunda, nitida, & rubra. Porro propius accedit ad Milium arundinaceum nostrum primum; ut enim caulis illius se habet ad suam paniculam, ita hujus culmus suæ respondet, & pars cum partibus, & totum cum toto tam vicissim quam alterutrum conveniunt, etsi ab illo quoque separetur, non solum quod humilius, quod paniculorum partes diversimode revolutas fert, sed etiam quod grana subrotunda producit. Quocirca ut ab omnibus diversam delineandam curabimus.

*IV. Milium arundinaceum, panicula in summitate effusa, & semine rubro.*

*V. Idem, sed semine luteo-pallente.*

Ob id quod in superiore recensebam, verisimilius Milium arundinaceum secundum *semen compressum* gignens hæ duæ species referre videntur, in quibus semen

men eadem figura præditum gignitur, & in quinta etiam eodem colore: reliquarum quoque partium multa est affinitas & proportio, licet omnia minora, idcirco jure dici nequeunt eædem, neque sub unica specie contineri. Nam (ut prætercam cæteras partes, proceritatem præsertim, quibus omnibus ab illo separantur) jubæ ipsæ, cum brevioribus ramusculis constent, grana erecta sustentant, paululum tamen reclinata, nutante petiolo, illi autem primæ grana hæc rubra sunt, & rubris innixa petiolis: huic vero luteola, quæ ramusculis luteolis quoque insident. Quare mihi videtur in delineandis his lobis, hac ratione procedendum esse, ut, qua proportione tertii nostri Milii icon primi & secundi figuram respexerit, eadem harum specierum jubæ ad hanc tertii iconem se habentes, sub unica, quæ satis est, delineatione, in Tabulis repræsententur.

*VI. Milium arundinaceum, vulgare, panicula albida.*

*VII. Idem, panicula subpulla.*

Præstantissimum virum Tournefortium, qui absque ulla hæsitatione a Casp. Bauhino commemorata tantum Milii arundinacei ob panicularum colorem discrimina in plures species diviserat, secutus sum in recensendis his speciebus, & sequar in sequentibus etiam. Primam itaque (quæ in Ferratiensibus arvis colitur) paniculas albidas edere diximus, cum color granorum partim ad album, partim ad luteum vergat, ideo media quodammodo est inter species illas *Milii arundinacei, subrotundo semine, albo, & Milii arundinacei, subrotundo semine, luteo* C. B. *Pin.* 26, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 514. Alteram autem speciem in collibus Veronensibus legimus, quæ, cum subpullas jubas producat, separanda est a *Milio arundinaceo, subrotundo semine, nigricante* C. B. *Pin.* 26, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 514.

F *VIII.*

VIII. *Milium arundinaceum, humilius, semine subrotundo, rubello.*

IX. *Idem, semine subluteo.*

X. *Idem, semine rubro, sed in summitate effusis jubis.*

XI. *Idem, panicula contracta, & densa.*

XII. *Idem, panicula contracta, & densa, luteola.*

XIII. *Idem, panicula contracta, & densa, nigricante.*

Nunc simul dicendum de his omnibus. Genus quoddam Milii arundinacei constituunt a superioribus nostris, & a vulgatis sejunctum ob caulis potissimum humilitatem, quæ in his subdupla est. Prima species sive ordine octava hoc tantum caulis discrimine a *Milio arundinaceo, subrotundo semine* C. B. separatur, reliquæ & aliis partibus varietatibusque a vulgatis distinguuntur, quibus notis etiam alteram ab altera separatim collocamus. Etenim secunda cum jubis ex luteo pallentibus, tum exilioribus, & paucioribus villis a sexta nostra, & a suis congeneribus dignoscitur. Tertiam brevitas caulis, & subrotundum semen a quarta *panicula in summitate effusa, & semine rubro* dividit, eadem ratione ab omnibus. Reliquæ tres, quarum lobæ contrahuntur brevibus, & confertis ramusculis, præter caulis quantitatem, hoc peculiari signo opponuntur cæteris, inter se dissimiles varietate tantum jubarum.

Seruntur vulgo hæ species in campestribus regionibus, sed præcipue in montibus humilioribus, collibus, cæterisque arvis gracilibus, quæ facile ex terræ conditione humore destituuntur, solisque ardoribus nimium arescunt, Ideo a colonis magis laudantur, quam majores species, quod felicius proveniant, ut dicemus agentes de Mayz.

Inter has porro species, quæ Tabulis illustrandæ sunt,

sunt, tertia eminet, cui ob paniculam ita affectam, & seminis figuram proprius debetur honor: reliquas tres uno iconismo comprehendemus, nam primæ & secundæ, cum a vulgatis ob minorem tantum culmum discrepent, qui in figuris describendis ex artificum arbitrio modo deduci, modo contrahi solet, nulla futura est ratio.

*XIV. Milium semine luteo, panicula sparsa.*

*XV. Item, atropurpureum.*

*XVI. Milium semine luteo, panicula sparsa breviore, & granis in ramulorum extremitate prædensis.*

*XVII. Milium semine luteo, panicula contracta.*

*XVIII. Idem, atropurpureum.*

Ad alterum transeamus Milii genus, quod antiquissimum est, illud enim arundinaceum culmo, & amplum grano (cujus nonnullas species supra recensuimus) non ita pervetus est Italiæ populis, quippe Plinii ætate ex India allatum. Cui mihi videtur perperam Milii nomen impositum, & retentum, quid enim huic cum Milio commune? An lobæ, quæ, ut in Milio vulgari, longis, & fimbriatis petiolis grana complectuntur, eaque per fasciculos in paniculam laxam disponunt? At hæ haud perpetuo ita se habent, nam tres illæ nostræ species *panicula contracta*, & *densa* congerunt grana in confertas spicas. Quid igitur de his faciendum? Revocabimusne has ad Panicum a Milio tantum distinctum, quod producit acervatas spicas prædensis granis? Itaque manifestum est, non recte Milio misceri, si enim hæc, quæ similia dicuntur, & quæ priscis Botanicis persuasisse videntur, ut se in Milii genus inferrent, in omnibus non inveniuntur: quid de reliquis dicendum tam dissimilibus, tam diversis? Ubi in Milio vulgari vasti illi radicum cespites,

culmi ut crassissimi, ita maxime proceri, immania folia, & instar arundinum, prægrandes lobæ tam magnis seminibus refertæ? Ubi foliculorum similitudo? Nonne arundinacei Milii granum unica tantum capsula continetur, ac villosa, quæ modo lutea, modo nigra, aut alia varietate insignis, species diversas constituit, & quæ post trituram adhuc sequitur, granum arcte complectens? Hæc si vi detrahatur, granum nudum relinquitur nullo alio involucro tectum. In Milio vero communi, & etiam in Panico hæc quidem adest, sed nullo negotio granum ex illa defluit, non tamen nudum, sed undique tunica quadam obductum, quæ ob coloris diversitates nigri, lutei, albi, diversas efficit Milii, aut Panici species. Hac nudare Milium, aut Panicum aviculæ solent, antequam edant, & homines etiam, dum in cibum parant, propterea pistillo tundunt. Adde etiam dissimilem maturitatis naturam, arundinaceum statim a primo vere ingeri solo, non tolli nisi circa calendas Octobris, & in collibus totum autumnum requirere, ut permaturescat: at commune celerrime perfici, commodissime, quod ultima Martii mensis parte, committitur terræ per æstatem carpi, rursusque seminari, & demeti etiam, priusquam arundinacei messis opportuna fit. Ex his ergo patet, jure hoc arundinaceum Milium ab hoc nomine esse deturbandum, quod nos non ausi fumus: satis est in quatuor fecisse. Cl. Sherardo nostro (si ita videbitur rationi consentaneum) cujus summa est in re Botanica auctoritas, faciendum relinquimus. Sed ad nostras Milii species redeamus. Unica extat *Milii, semine luteo* apud Auctores commemoratio, ut in *Pinace* C. B. 26, *& Inst. R. Herb.* TOURNEF. 514 hos alias quinque habemus, quas sic disponendas judicavimus. Prima, & secunda internoscuntur colore: a vulgata & communi longe lateque admodum diffusis paniculis distinguuntur, & secunda etiam colore.

a tet-

a tertia vero nostra separantur ramulis comarum prælongis, non pendulis, granis quoque non prædensis in extremitate: iisdem fimbriatis capillis, longioribus, explicatis, & diffusis a quarta & quinta: semine vero luteo a duabus sequentibus, a quarum prima colore etiam & foliorum, & culmi, folliculorumque hæc prima distat. Tertia autem a vulgata, panicula breviore, minus sparsa, ac acervata granis circa ramulorum finem dirimitur: a quarta & quinta, panicula eadem breviore, sparsis petiolis, crebiora, & prædensa grana complectentibus, sed a quinta etiam totius Herbæ colore: a sequentibus omnibus fere differentiis. Pariter quarta, & quinta inter se distinguuntur eodem colore: a vulgata paniculis contractis: quo vero discrimine a sequentibus separantur quis non intellexerit?

Seruntur passim in restibilibus agris, & sæpe etiam in vervactis modo in singulis singulæ species, modo una plures vel omnes, nulla lege aut ordine.

Quot vero & quibus sedes in Tabulis assignaturus sim, paucis indicabo. Primam, & secundam unica comprehendam figura, quæ & duabus sequentibus inservire potent. Reliquis, duas concedemus icones, alteram tertiæ, alteram quartæ, & quintæ.

XIX. *Milium, semine nigro vel spadiceo, hirsutum.*

XX. *Idem, atro-purpureum.*

Diu anceps fui, an hæ Milii *semine nigro* species (quæ ubique nullo cogente nascuntur, late campos, & arva tenentes) separandæ essent ab illa vulgata Milii, *semine nigro* C. B. *Pin.* 261, sive *Milio, semine nigro spadiceove* J. B. 2. 446. Sed me hæsitantem ipse Bauhinus in hanc sententiam impulit, ut dissimiles judicarem, cum de suo in *Thea. Bot.* 503., ita locutus sit. *Alterum est Milium semine nigro, quod caule est altiore, tenuiore, non hirsuto, sed glabro.* Quod ut descripsit, ita de-

It-

lineandum curavit. Itaque, cum similes sint illius Milii descriptiones apud alios Botanicos, & hæ hirsutæ sint caule & foliis, ut & superiores cunctæ, fatendum est, hoc saltem discrimine ab illa esse diversas.

## GRAMINIS SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

1. *Gramen loliaceum, alpinum, spica exili, varioribus locustis.*

PErgentes Imperfecti Floris Plantas, proponere suscipimus nunc nostrorum Graminum descriptiones Apetalum Florem ferentium, quæ cum tota partium structura differant a vulgatis Graminibus, (paucis exceptis, de quibus singillatim dicendum) omnia in Tabulis nostris sedem sunt habitura. Porro cum Gramina in quinque veluti classes dividantur a Botanicis, alia enim *Loliacea* dicuntur, alia *Spicata*, alia *Dactyla*, *Paniculata* multa, reliqua antem *Avenacea*. nos eundem ordinem sequentes, dicemus primum de nostris Loliaceis, deinceps de Spicatis, postremo de Paniculatis, Dactylis, & Avenaceis relictis, quoniam in præsentiarum hujusmodi Plantas non habemus.

Incipientes itaque a Loliaceis, quibus *Lolium*, *sive Gramen loliaceum, spica longiore, aristas habens* C. B. *Pin.* 9 nomen dedit, quoniam hujus utriculorum formam imitantur, describamus primum hoc *Gramen alpinum, spica exili, varioribus locustis*, quod radice nititur multiplici, exili, pluribusque fibris adhærentibus, quibus rupibus insidet, in summis montibus nascens, folia brevia, viridia, glabra, culmi pedalis subtripla exeunt, quæ & ex culmo eadem forma prædita, & æqualiter longa prodeunt. In extremitate caulis spica sustinetur palmaris, exilis tamen, & per longiuscula spatia parvas locustas producens. Et hæc de forma: dicendum nunc de differentiis, quibus ab utroque Barrelierano 5 & 6 *Icon. Gramine-loliaceo, junceo* separatur. Hæc di-

discrimina ex magnitudine fere pendent caulis, & conditionibus foliorum; folia enim nostrum plana fert, latiuscula, & mollia: illis vero insunt juncea. Quantitas autem caulis in nostro pedalis; in majore Barrelierano ad quincuncem tantum.

*II. Gramen loliaceum, alpinum, spica oblonga, & angusta, utriculis longis aristis vallatis.*

*III. Idem, spica subdupla.*

In extremitate Sinarum editissimum inter omnia eminet jugum, quod a Pastoribus *mons Pietatis* nuncupatur. Hoc contra Occidentalem regionem ita natura præceps, & horribile visu, in profundissimam abrumpitur altitudinem, ut vix alpicolæ jam a pueris assueti per invia juxta ac devia discurrere, tentabundi, & quidquid circa eminet sive saxa, sive cespites manibus retinentes, demittere sese possint, & rursus ad superiora reptare. Ibi hæc duo Gramina in profundiore rupe simul nascuntur, actis radicibus fibrosis, oblongis, albisque, ex quibus ad duorum cubitorum proceritatem crescunt. Folia lata sequuntur tum quæ ad radices, tum quæ ex culmo oriuntur, Tritici instar, & glabra. Spicæ insident summis caulibus, angustæ: illius palmaris seu dodrantalis hujus triente major, cum sit ad illam primi, ut plurimum, subdupla. In utraque tamen locustæ hinc illinc disponuntur, longioribus, quam pro Graminum natura, vallatæ aristis.

Distinguimus primum hoc nostrum a *Gramine loliaceo, latifolio, spica angustiore* C. B. *Thea. Bot.* 127, videntes radices arundinaceas non ferre, nec spicas similes *Hordeo murino* vel *Phœnici*, sive *Gramini loliaceo, angustiore folio, & spica* C. B. *Pin.* 9, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 516, cum quo ipse Auctor contulit illius spicam, & simillimam statuit.

Deinde a majori, medio, & minori *Gramine lolia-*

*ceo*

*cto, spurio, hirsuto, aristis geniculatis* BARR. *Icon.* 905. Ubi enim folia hirsuta, ubi culmi; ubi folliculi hirsuti, ubi aristæ geniculatæ in nostris? Ubi cætera, quæ in illorum definitionibus & explicationibus exponuntur?

*IV. Gramen loliaceum, alpinum, hirsutum, spica lata, brevi, non compressa.*

Invenitur tam in Baldo & Merana, quam in Morsuplano, & Vallacia, radicibus exilibus, oblongis, plurimis, fibrosis, & albidis crescit. Folia gignuntur brevia, plana, angusta, quatuor digitis oblonga, ita quoque quæ a culmo oriuntur, quaterna, quina numero, eadem figura sunt, ac longitudine. Culmus sesquicubitalis altitudinis explicat spicam laxam, brevem, locustas per fasciculos complectentem inæqualibus ramulis innixas, ac brevibus armatas aristis. Porro tum folia, tum culmus, & spica vestiuntur mollicula lanugine, quæ omnia, ineunte autumno, arescunt, peritque Gramen, annuum enim est.

*V. Gramen spicatum, typhoides, maritimum, glumis longioribus, acuminatis, & pilosis.*

Expositis illis quatuor Graminis Loliacei speciebus, nunc ad Spicatas transeundum. Spicatum autem gramen dicitur, cujus locustæ summo culmo, aut nullo, aut quam brevissimo petiolo infiguntur in spicarum formam Tritici nimirum, Secales, Hordei dispositæ. Hujusmodi hoc Gramen est, quod in Insula *Lio* celeberrima apud Botanicos natales obtinet sedes. Est autem radicibus brevibus, paucis, exilibus, & albidis, foliis quoque paucis, & brevibus, culmo porro terno, quaternoque tribus aut quatuor internodiis instructo, & totidem foliis iis, quæ ad radicem, similibus. Hujus maxima altitudo, cum pedem excedit minima,

cum

cum intra pedem continetur. Ex singulis culmis singulæ spicæ oriuntur, duos digitos longæ, teretes, & prædensis glumis, quæ longiores sunt, acuminatæ, ordine pilorum per oras instructæ, semen continentes exiguum, & subrotundum. Prima æstate arescit moriturque Gramen; nam singulis annis de semine nascitur.

*VI. Gramen spicatum, typhoides, spica villis prædensa, ac radice nodosa.*

Glabreta Alpium incolit hoc Gramen, cujus radix nodosa est, duobus nimirum bulbis altero alteri incumbente constans (ut in Gladiolo, in Sisyrinchio, & in quibusdam etiam aliis Graminibus videmus), ac plurimis fibrillis subpullis ad basim instructa. Culmus unicus prodit ad pedem fere surgens, qui tribus quatuorve nodis nigricantibus distinguitur, ex quibus folia nascuntur oblonga, plana, acuminata, & in margine exilibus denticulis armata. De summo culmo exit spica, duos tresve digitos longa, & locustis prædensa. Hæ porro locustæ, villis hinc inde exornatæ, ex duabus partibus componuntur, quarum utraque in aristas abit longiusculas, ac colore spadiceas. Continent autem singulæ locustæ utriculum quendam, flores subluteos complectentem, quem nunquam semine fœtum inveni.

Mihi videtur hoc Gramen ob quandam spicæ similitudinem multum accedere ad *Gramen typhoides, Alpinum, spica brevi, densa, & veluti villosa* JOAN. SCHEUCH. *Agrof. Prod. 17 Tab. III.*, a quo tamen differt, tum quod radice non *geniculata* constat, sed bulbosa; tum quod folia, sive quæ ex inferiore caule, sive quæ ex superiore nascuntur, non amplexicaulia producit: cum egregius Auctor de suo scripserit: *culmum teretem vagina sua aliquo usque obvolventia* (folia), *supremi folii vagina aliquantulum dilatata est & tumida, utpote in quo folliculo spica ante suam evolutionem delituit.*

*VII. Gramen alpinum, spicatum, sparteum, foliis brevissimis, latiusculis, & caule longiore.*

In summis & aridis montibus nascens, radiculas longiusculas, exiles, paucas, albidas, exiguis, & raris fibrillis instructas agit, folia quemadmodum in sparteis quina sena per fasciculos disposita, quatuor digitos longa, unius tantum digiti spatio ab radice sibi invicem connexa, angusta autem reliqua parte, plana, acuminata, sæpe exiguis villis mollia, producuntur hi vero foliorum fasciculi terni, quaterni, quini singulis hujus Graminis plantis exeunt. Culmi autem ex medio horum fasciculorum erumpunt, cubitalis altitudinis, duobus nodis & duobus foliis ornati, enodi reliqua parte. Culmorum summo insident spicæ, quadrantales, teretes, albidæ, in subflavum colorem languentes, nitidæ, ac prædensis utriculis, qui levibus, longiusculis, & acuminatis glumis constant, acervatæ.

Quod autem diversum sit ab illo, quod *Thea. Bot.* C. B. 67 recensetur nomine *Graminis spartei, spicati, foliis mucronatis*, argumentum est: hoc Bauhinianum gignere *folia pedalia, rigida, angusta, nervo distincta: stipulas cubito altiores, spicas oblongas, tenues, atrovirentes*, præterea in *Brabantia locis arenosis provenire*: quæ in nostro omnia fere contra.

*VIII. Gramen spicatum, alpinum, sparteum, spica parva, flavescente.*

In rimis saxorum montium crescit, pendens ex rupibus accessu asperis, nec radices evelluntur, integro saxo. Hæ vero prælongæ sunt, albidæ, quarum una, quæ media, crassiuscula est, & cæteris præstat, subeunt deinde folia plurima in ternos aut quaternos fasciculos acervata, mollia, & lata ex ea parte, qua intra complexum reliquorum foliorum continentur, qua au-

autem extra percurrunt, angustiora, rigidiuscula, imbricata, ac quincuncem longa. Exit his interjectus culmus, pedalis fere, aut paulo minus, enodis, unico folio, ut plurimum, cinctus, proferens angustam, & subrufam spicam, atque sescunciariam.

IX. *Gramen spicatum, sparteum, alpinum, foliis junceis, pungentibus.*

Summa & arida juga inter saxorum prærupta hoc sparteum Gramen nutriunt, cujus acutis foliis, dum apprehensis cautibus, tentabundus ad superiora reptarem, sæpe manus læsæ admonuerunt incautum. Magno & firmo cespite nascitur, quo evulso, radices apparent, plurimæ, exiguæ autem, & breves, colore subnigræ, folia in manipulos collecta, (qui ex parvis fasciculis componuntur) lata, & mollia qua parte sibi mutuo comprimuntur, reliqua rigida, firma, acuta, juncea, ac inæqualis longitudinis brevissima quadrantalis: pedalis longissima; sed quanto breviora, tanto acutiora, & firma. Culmum undique circumplectuntur, pedalem, duobus internodiis instructum, & duobus acutis pariter, & junceis foliis. Is spicam brevem exhibet, subflavis utriculis compositam, qui frequentes parvis ramusculis insident: hi ramusculi, arescentibus culmo & spica, contrahuntur, paniculam mentientes.

Non omittendum tamen est, hoc nostrum longissimo intervallo distare a *Gramine sparteo, junceifolio* C. B *Thea. Bot.* 69, sive *Sparto nostrate, parvo* LOB. *Hist. Belg.* & *Icon.*; tum quod radices haud repentes producit, neque culmos palmares, tum etiam quod spicas non edit *tenues, ex atro-purpurascentes, utriculis ab una parte dispositis*, qui neque oblongi, neque *tenuissimi sunt*, neque *in duas exiguas aristas abeuntes*, cum aristis omnino careat.

*X. Gramen spicatum, alterum, spica ex utriculo prodeunte.*

Circa Eridani ripas celeberrimi & maximi nostræ Italiæ fluminum invenitur hoc gramen, pusillæ magnitudinis. Radicibus est exiguis, brevibus, pullis, ex quibus fere unicus nascitur culmus, duobus tribusve geniculis distinctus, & altitudinis fere dodrantalis. Folia sunt brevia, angusta, acuminata, mollia, virescentia, tam quæ radicibus, quam quæ culmo adhærent, præter extremum, quod ex ultimo geniculo natum, caulem amplectitur, adhuc formam capsulæ retinens, in qua obvolvebatur spica. Hæc, postquam exivit, longiusculo spatio removetur, summo caule insidens, brevis autem, & teres, atque elegantibus utriculis prædita. Hi vero, qua parte culmi axi affiguntur, acuminati sunt, deinde paululum latiores fiunt, desinentes in brevem aristam, forma compressi, colore subflavi, & nitidi. Intus semen unicum servatur, altero tamen sed tenujore involucro occlusum, parvum autem hoc granum est, & compressum, figura cordiforme, ac colore subrubrum. Porro ex latiore parte, quæ basis est, suus funiculus sive petiolus, quo nutrimentum hauserat, adhuc pendet.

Hoc non solum mea, sed & Cl. Gulielmi Sherardi sententia & assensu judicatum est diversum ab illo C. B. *Pin.* 3 *Gramine pratensi, spica purpurea, ex utriculo prodeunte*, ut unusquisque conferendo illius & nostri descriptiones internoscere poterit.

*XI. Gramen spicatum, spica tenuissima, longiore, staminibus albis.*

Hoc gramine nihil frequentius obvium fit mense Majo in frumentariis campis, quo tempore spicas edere solet candidis staminibus ornatas, non etiam cum frumentis, nullo cogente nascitur, unaque demetitur. Nos observavimus primum circa Patavium patentibus

lo

locis, deinde passim. Cæterum nihil fortasse prohibet, quo minus in hoc loco hanc commemorationem habeamus, tum quod candidissimis floribus diversum est a vulgari *Gramine spicato, spica cylindracea, tenuissima, longiore* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 520, sive *Gramine, cum cauda muris purpurascente* J. B. 2. 473, quod purpurascentes gignit; tum etiam quod in nostris Tabellis nulla ejus futura est mentio.

XII. *Gramen paniculatum, montanum, locustis serici modo splendentibus, cum aristis.*

XIII. *Idem, locustis aureis.*

Nunc transitum facimus ad Paniculata Gramina, quæ nempe utriculos longis & diffusis ramusculis complectuntur in paniculæ similitudinem, dispositos. Novem hujusmodi Gramina collegi, quæ vulgatis addenda judicarem, quorum primæ ob paniculaurum speciem hisce duobus jure meritoque debentur. Nascuntur in alpestribus regionibus, primum quidem non infrequens, quod aliquando & humiliores incolere sedes vidimus alterum non ita, sed quando occurrit, semper circa sylvestria montium, & pleraque invia loca deprehenditur. Utrumque vero radicibus nititur oblongis, rigidis, & plurimis, colore ex albo pallentibus. His folia junguntur plurima, angusta, imbricata, & ad pedem longa, quorum tria vel quatuor culmum sequuntur, sed minora. Porro culmi infrequentes nascuntur, quinis fere cicutis distincti, glabri autem, & bipedales. In utraque specie jubæ similes explicantur, instar Milii, leviter ob locustarum pondus curvatis ramulis, nitidæ autem, & molles, colore utriculorum distinctæ. in prima ex spadiceo in albidum colorem pendentium: in altera aureo, ut sericum, nitore splendentium, Utriusque tamen paniculæ floribus purpureis ornantur. Quo florum colore secundum (nam

pri-

primi aperte dissimilitudo innotescit ) declaratur diversum esse a *Gramine aureo Dalechampii* LUGD. *Hist.* Quoniam ei ob aureum tantum florem, aurei nomen imposuere: nostrum sic appellavimus ob locustarum colorem, cætera autem discrimina prætereo. Ex quibus manifestum est, hoc nostrum ab illo esse diversum, quare nos una cum primo in Tabulis nostris unica figura repræsentandum censemus.

*XIV. Gramen paniculatum, alpinum, minus, panicula sparsa, flavente, &, ut sericum, nitida.*

Alitur hoc quoque in altissimis montibus, radice breviore, & exiliore, quam superiora, nixum, a quibus insuper disjungitur, tum humilitate caulis, tum panicula longiusculis ramulis, & ex intervallo nascentibus locustas complectente, colorisque remissioris, nec ita nitida.

Quærat nunc aliquis, an hoc nostrum teneatur in *Gramine nemoroso, panicula rufescente, molli* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 522, sive *Gramine nemoroso, spica rufescente, molli* C. B. *Pin.* 7? Id tunc ego suspicarer, si, quamvis aliis discriminibus separentur, illud æquale nostro saltem inveniretur, sed cum a J. B. 2. 509 appelletur illud *Gramen sylvaticum, parvum, tenuifolium, rigidiusculum*, nostrum autem non parvum sit, omnia prorsus dubitandi ansa adimitur.

*XV. Gramen paniculatum, angustifolium, panicula exili, spadicea.*

Secus vias, in aggeribus, limitibusque agrorum, circa lacunas quoque, & loca consita sylvestribus Prunis frequentissimum invenitur circa ortum Caniculæ, quo tempore & paniculas explicat, & flores subluteos. Hæret autem parvis radicibus, & exilibus, unde nullo negotio legentis manum sequitur. Angustum autem est foliis, & breve, altitudinis pedalis.

Por-

Porro culmi plurimis nodis cinguntur fenis fere, aut feptenis, ex quibus totidem folia gignunt. Paniculæ trientales funt, & parvis locuftis ornatæ, quas per ramufculos, plures ex fingulis paniculæ internodiis exortos, complectuntur, coloris fpadicei.

*XVI. Gramen paniculatum, alpinum, minus, panicula fparfa, & locuftis parvis, flaventibus.*

Celfioribus apicibus hoc gaudet, affiduis expofitum Aquilonis perflatibus, in quibus oritur radice parva, & exili, (quæ per autumnum arefcit, educto ad maturitatem femine, annuæ enim naturæ eft Gramen) parvifque inftructa fibrillis, folia producens ut *Gramen paniculatum, minus, album* C. B. *Pin* 3, quæ eadem figura in caule quoque funt, non ea tamen frequentia. Porro culmus ad cubitum producitur, explicans paniculam latam, & fparfam, cujus utriculi per fafciculos fummis & longis ramulis infident, parvi autem, flaventes, & fubpurpureis flofculis exornati.

*XVII. Gramen alpeftre, paniculatum, parvum, Iridis folio.*

Nafcitur hoc rarum Gramen in montibus alpeftribus, & memini vidiffe primum in horrida Montis Baldi Valle, quæ ab alpicolis *Valle de l' offa* nuncupatur. Nihil enim præter informia faxa ac immanes rupes, cum ex natura, tum ob diuturnam nivem candidiffimas, apparet, unde tanquam arido fceleto nomen dedere. Ibi itaque nivis accola germinat, adeftque indigena & contubernale *Phalangium alpinum, Iridis folio, paluftre* TOURNEF. *Inft. R. Herb.* 368. *Pfeudo-afphodelus, alpinus* C. B. *Pin.* 29, quorum tanta eft in foliis fimilitudo, & unitas, ut nifi edito caule, nullo difcrimine internofcantur. Sed hæc de fimilitudine, unde in definitione additum *Iridis folio*: perquiramus reliquas partes. Radicibus noftrum Gramen plurimis eft, exilibus, oblongis,

gis, & subpullis, culmis autem dodrantalibus, duobus fere nodis distinctis, qui multi & dense promiscue exeunt, at spicis semuncialibus, colore subflavis, & locustis non ita divulsis.

*XVIII. Gramen paniculatum, palustre, prealtum, exile, panicula arundinacea.*

Hæc nova graminis species absque ullo labore intra Patavina mœnia (quis crederet?) inventa, unde merito miramur, quomodo usque ad hanc diem Botanicorum oculos effugerit, in ea præsertim urbe, in qua Barbarorum incursione pene extincta ars hæc primum surrexit, & diu a celeberrimis viris culta est, quam urbem undique externi omnes Botanici, permoti Plantas & cognoscendi, & inveniendi studio, petierunt. Illi, inquam, qui ex Italia nostra tot spolia (proh pudor!) nobis eripuerunt, atque sic libros suos & se ipsos immortalitati consacrarunt. Sed ad gramen, quæ pertinent, hæc sunt. Nascitur intra pomœrium ad Sanctæ Crucis Propugnaculum in palustribus campis, radice est plurima, fibrosa, exili, & oblonga, foliis paucis, oblongis, & angustis, at prealto culmo, facile ad trium cubitorum altitudinem producto, exili tamen, & nonnullis internodiis distincto. Hic circa calendas Junii paniculam edit palmarem, angustam, arundinaceam, non sparsam, utriculis exilibus, acuminatis, subpurpureis, flore quoque subpurpureo ornatis.

*XIX. Gramen paniculatum, alpinum, prealtum, foliis longissimis, & radice pilosa.*

Eruimus hoc in montibus Sinarum sub jugo Pietatis. nitebatur magno cespite, & extractu difficili ob radicum complicationes, quæ quidem oblongæ sunt, crassiusculæ, duræ, subpullæ, & brevibus undique obsitæ villis ipsis quoque subpullis, folia vero longissima, sesquicubitalia nempe, angusta, acuminata, rigida, nervoque

dr-

distincta. His tribus quatuorve instructus surgebat caulis ad trium cubitorum proceritatem, extollens in sua summitate palmarem comam, infrequentibus ramulis sparsam, quibus locustæ ex luteo pallidæ hærebant, sine aristis. Flores non aderant.

XX. *Gramen paniculatum, aquaticum, asperum, locustis planis, & orbiculatis.*

Cum Cisalpina Gallia multis, & magni nominis fluminibus alluatur, facillime fit, ut hinc atque illinc plurimi rivi ad irrigandas illas arte quæsitas paludes, deriventur, quæ Oryza seminantur. In his itaque locis hoc Gramen felicissimum provenit, diciturque a puellis frumentum illud manu purgantibus *Asperella*; folia enim circa oras quibusdam ad terram reflexis spinulis armantur: quare, manu nitente Herbam evellere, vola læditur. Nascitur radicibus fibrosis, oblongis, alteque demissis, ex quibus folia exeunt oblonga, arundinacea, colore glauca, quo tantum discrimine ab Oryza, dum tenella est, hoc Gramen distinguunt in runcanda segete. Cæterum culmi bicubitales crescunt, qui pluribus nodis distinguuntur singuli nempe septenis vel octenis. Ex his totidem folia procedunt, breviora tamen, quam quæ ad radices. Paniculæ late diffunduntur, fimbriatis capillis locustas sustinentes, planas, orbiculatas, & in peripheria spinis oblique surgentibus vallatas. Hæ locustæ ex duabus partibus inæqualibus componuntur, harum major galeæ forma instruitur, sed depressa: minor angusta est, & parum excavata. Aperiuntur autem ad perpendiculum, semenque egreditur unicum, parvum, sed oblongum, quod minori parti adhæret, ex qua alimentum haurit, ab altera autem tegitur.

CYPEROIDIS SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

*I. Cyperoides alpinum, minimum, spica parva, compacta, & spadicea.*

Dixi de his Plantis, quæ Florem Apetalum fructui adhærentem producunt. sequitur, ut de his dicam, quarum Flores longe a fructu nascuntur. Itaque ordiar ab hoc Cyperoide, quod in rupibus nascitur, quas alluunt pluviales aquæ ex planis montium crepidinibus delabentes. Radicibus plurimis, fibrosis, oblongis in magnum cespitem crescit, ex quibus folia plurima, & prædense posita gignit, oblonga autem culmum & spicam excedentia. His promiscui caules frequentes exeunt, prismatici, & sextantarii, sustinentes parvam spicam, densis utriculis acervatam, spadiceamque.

*II. Cyperoides montanum, panicula pendula, breviore, longissimis foliis.*

Per imas montium valles, qua perennis reptat aqua, hoc nobis iter facientibus sæpe occurrit, cujus natura est: radice multipliciter circumvoluta, plurima, & subnigra niti, folia ferre caulis dupla, angusta, mucronata, nervo per medium discurrente distincta, atque imbricata, & hæc cuncta ex radicibus: nam quæ in caule gignit, pauca, & brevia sunt, postremo edere caulem prismaticum, sesquipedalem, deorsum, cum spicis reflexum, quæ parvæ, angustæ sunt, & colore spadiceæ.

*III. Cyperoides angustifolium, spica spadiceo-viridi, minus, foliis striatis ex luteo.*

Nullo modo tacitus hanc perpulchram Herbam prætertire possum, tum quod per se, elegantissimæ varietatis cum sit, clariore nomine digna videtur, tum etiam

iam quod sine ullo incommodo in celeberrima Paravii urbe hac parta fruimur. Ex fossis ad Portam Divi Joannis ubi primum vidimus, in Hortum amœnissimum Maurocenum transferendam curavimus, in quo viget, atque in dies pulchrior evadit. Cæterum, cum nihil aliud, quam foliorum varietatem, diversum obtineat a *Cyperoide angustifolio, spica spadiceo-viridi, minore* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 529, in Tabulis omittemus; quod de superioribus minime faciendum judicamus, immo summo in honore utramque speciem habebimus, & singillatim ponemus.

MAYX SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Mayx granis aureis, minus, spicis ad latera culmorum.*

Dicimus *ad latera culmorum* hinc illinc oriri spicas huic Mayx ex foliorum alis, ut distinguamus nostrum a *Frumento Indico Mayx dicto, minore* C. B. *Pin.* 26, & TABERN., quod grana producit in paniculis summo culmo insidentibus, floribus succedentia, non vero in spicis circa medium culmi exorientibus, ut hoc nostrum. Cætera communia utrique.

Seritur passim in arvis, & felicius provenit, quam vulgare *Mayx granis aureis* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 531, & magis etiam a colonis probatur, antequam enim fervidissima tempora soli humorem absumant, spicas edere solet: illud contra dum ad tantam altitudinem properat, sæpe superveniente siccitate, & deficiente alimento, sterili culmo inarescit.

*II. Idem, foliis striatum ex albo.*

*III. Mayx spica nigra, rubra, & spadicea, striatum.*

Differentia pendet ex foliorum varietate, quo tantum discrimine separantur: illud a nostro primo, hoc

a *Mayx spica nigra, rubra, & spadicea* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 513, quorum utrumque frequentius occurrit in arvis satum.

De Mayx nullum nomen in Tabulis servabo, cum sua quisque imaginatione vulgatorum iconibus accommodare horum formam facillime possit, modo in primo subduplam *Mayx granis aureis, vulgaris* Tournef. proceritatem animo repræsentet, in secundo eandem ac in primo, in tertio denique æqualem ipsi Tournefortiano, varietates enim colorum quis sub oculos scalpello posuerit?

Quoniam vero hic de Mayx sermo est, res ipsa hortari videtur, ut aliquid in commune etiam addamus, etsi enim per totam Cisalpinam Galliam nihil frequentius occurrat, plerasque tamen provincias minime offenderit hæc nostra digressio, cum vel propter consuetudinem, vel cœli statum, terræque inclementiam, commoda utilitatesque, quæ ex Mayx percipiuntur, non habeant, ignorentque hujus usum, dum eo privantur. Incipiam itaque a cultu, deinde ad usum veniam.

Coloni igitur statim in ipsa proscissione ab æquinoctio verno,

*Candidus auratis aperit cum cornibus annum*
*Taurus, & adverso cedens Canis occidit astro.*

Solo ingerere semen incipiunt, lirantes terram in latiores porcas, ut ex duabus una fiat. Qui vero agricolationis prudentiam sibi vindicant, sub brumæ initium solent ea loca proscindere, quæ Mayx verno tempore seminanda sint, ita a gelicidiis undique penetrantur, & putria redduntur. Quare facilius ingestum semen per resolutam humum radicibus diffunditur, luxuriaturque. Utcunque tamen spargitur, sive proscisso, sive crudo arvo, injuriam tolerat: neque etiam ullam mediocritatem soli postulat. Jacitur pinguissima, & lætissima humo: jacitur uliginosa, & densa. jacitur exi-

exili, aut cretosa: jacitur denique summe jejuna, & macerrima. Provenit quacunque satum, sed pro arvi conditione plus reddit, minusve.. Compertum tamen est, quam pinguissimo lætari, & quam maxime uliginoso, ac patente campo. Peracta sementi, cominus agricola sequitur, qui scamna tentando subigat, & inverso ligone vastos cespites, atque eminentes glebas minute defringat, inde superinducitur crates. Ab occatione octo fere dierum spatio sub terra latet, postea erumpit. Cum primum trientem ex terra eminere cernunt, descendunt sarritores, & teneram segetem leviter scalpendo, non solum a subeuntibus Herbis purgant, sed singillatim pastinando parte terræ eam levant, ut tenellæ radices, dempto onere, facilius convalescere, & confirmari valeant. Mirum autem est, quam cito adolescat. Quod ut vident coloni jam pedem auctum, iterant sarritionem, &, sarculis hinc illinc circa radices ingerendo terram, Herbam obruunt, tum ne radices, hausto a sole humore, siccentur, tum etiam ne a ventis gravidus culmus ita facile agitetur, aut eruatur. Quod opus multum & temporis & laboris absumit, unde non sine ratione magna sarritura dicitur. Quæ enim tertia vice instituitur, cum jam adulti culmi, & in jubas effusi, spicas educere incipiunt, paucas operas desiderat, quippe tantum circa singulos culmos permovetur terra, qua rursus radices obruantur, magisque firmentur. At Mayz nullius amplius indigens nisi opportunæ pluviæ, facile ventos eludit, & grandines. Porro ob ingentem radicum cespitem fucci tantum haurit, ut quibuscunque arvis quamvis felicissimis insederit, summa defrugatione, ne dicam, sterilitate affecta relinquat. Sed nihilominus largius respondendo efficit, ut tolerabiliora agricolis damna videantur. Maturescunt omnes species, quas in Italia habemus, mense Sextili, una excepta trimestri, ( quæ, peracta messe, jacitur restibilibus arvis, omnium quas

ha

habemus minima ) hæc autumnali tempore perficitur. Nostrum *minus Mayz* fere ante idus reponitur: communia leguntur sub calendas Septembris. Signa maturitatis cum arescunt culmi, & spicæ revolvuntur. Hæ autem spicæ figura cylindracea sunt, longæ, crassæ, & extremitate in obtusum conum desinentes, quibus grana veluti cuneata infiguntur per longitudinem disposita. Spicæ manu carpuntur, & in areas statim a spicilegio importantur, teruntur que, ut cæteræ fruges, postea siccatur granum, & inde paratur farina, cujus usus quam latissime patet. Majora tamen commoda Indis populis præstare audio, ex quo & vinum & oleum sibi parant: a nobis tantum panis conficitur ex farina, quo tota hyeme rustici vivunt, & cibus sive puls, qui farina ex aqua subacta constat, qui ex quadam similitudine cum illo priscæ ætatis ex Hordeo parato Polenta nuncupatur. Barbari ( ex quibus habemus ) *Megan* modo, modo *Arepas* dicunt. Hoc quoque plebecula nutritur, etsi aliquando etiam in magnificas mensas ( cum sit ob condituram exquisiti gustus ) importetur. Hunc cibum apud Medicos culpari audio, tanquam multorum morborum causam, quibus non tentatos majores fuisse, ajunt. Sed quam facillime ab hac sententia deducerentur, si paulisper mecum alicujus alpini pagi subirent casas, ubi homines procera statura, firma, & perpetua valetudine lætantes occurrunt; mulieres, pueri, quæ mollissima corpora habentur, pollentes viribus, torosi, validi, senes, quamvis in extrema constituti ætate, optimi habitus, sensibus adhuc integri, vivax exercentes corpus, neminem audient efferri, nisi ultimo senio confectum, aut ex aliqua rupe præcipitem, aut a feris extinctum. At quo victu? Credimus poetarum more Ambrosia, aut nectare quodam a Diis demisso, quod maxime pastoralis vita iis cordi sit? A lacte dejecti usque ad illam, cum sicca morte solvuntur, ætatem, simplici polentæ usu,

iis tantum additis ferculis, quæ a lactariis animalibus ſubminiſtrantur, contenti vivunt, claudendo cœnam vel largo fontanæ aquæ hauſtu, vel ſeri potione. Panis pleriſque ignoti nomiois, omnibus quidem poſthabitus. Ita quoque vini nulla cura, cum plurimi tantam ſenectutem decurrant, integris, ut ita dicam, faucibus. Ergo aliam adverſæ valetudinis cauſam quærendam diſcant, quam facile unuſquiſque invenire poterit, modo diſſimiles animi corporiſque mores, & contrariam vivendi conſuetudinem attendat. Parcant interea innocentem culpare cibum, parcant inſimulare Botanicorum victum, & præſidium, quo ſæpe in Alpibus, deficiente viatico, alacres vivimus.

### URTICÆ SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Urtica mayor, Montis Baldi.*

HActenus reperiuntur hæ ſpecies, quæ Florem a fructu ſecretum producunt: nunc duas ſubjiciamus, hanc nempe Urticam, & ſequens Equiſetum, inter illas Plantarum ſpecies reponendas, quarum alias in eodem genere Flores edere, alias fructus Auctores rei Herbariæ conſtituunt. Quod an verum ſit, & perpetuum in omnibus, adhuc inter conjecturas anceps ſum. Illud tamen moderatius addam argumentum in contrarium eſſe, ſæpius naſci, & inveniri has ſteriles ſpecies circa ea loca, in quibus nunquam inventæ ſint fœcundæ illæ ſive mares ſemina ſubminiſtrantes. Quod in *Urtica urente, maxima* C. B. (ut noſtram hanc prætercam, quæ, cum fœmina ſit, & ſterilis, in Baldo tamen, a nulla alia ſpecie exhibito ſemine, naſcitur) luculentius apparet, quæ paſſim & frequentiſſima oritur, & longe lateque diffunditur, nihilominus nemo in his regionibus inveniet *Urticam Romanam ſive marem, cum globulis* J. B., quæ illam communem jactet humo. Idem forte de *Mercuriali montana, ſpicata* C. B. dicendum eſt, quæ in col-

collibus invenitur cum altera *montana testiculata ejusdem Bauhini* summa Alpinm juga colat, tanto intervallo sejuncta. Sed de his fortasse alias agemus: nunc ad nostram Urticam redeamus. Hanc tantum vidimus in extremitate fere Baldi Septentrionem versus, quæ cum magnitudine, tum foliis longioribus, acutioribus, & nigrioribus luculente distinguitur *ab Urtica urente, maxima* C. B. *Pin.* 232, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 534. Quæ discrimina, ut clarius, collatis iconibus, elucescant, in Tabulis repræsentabimus.

## EQUISETI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Equisetum palustre, longioribus setis, & ramosis.*

EX radice candida, quæ humi reptat, & pluribus geniculis distincta, caules multi surgunt, nigricantes, bicubitales, simplices, erecti, enodes, cavi, pyxidatim ad genicula cohærentes, ex quibus geniculis capillamenta in orbem circumducta nascuntur, geniculata, in terna, quaterna, quina alia divisa, quæ pariter, ut illis inseruntur, ita quoque partes alterius in se recipiunt, & hæ alias. Caulium summitati capitula oblonga Asparago, aut quorundam Amentaceorum Arborum julis similia insident.

Ex his itaque manifestum est, hoc nostrum diversum esse, tum ab *Equiseto palustri, longioribus setis* C. B. *Pin.* 15, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 533, cui folia simplicia sunt, tum ab *Equiseto foliis nudo, ramoso* C. B. *Pin.* 16, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 533, sive *Equiseto tertio* MATTH. 725, quod caule longissimo constat, ferens genicula pauciora, & inter se majore intervallo distantia, quam in nostro, ex quorum articulis ramuli nascuntur longe ipsum caulem prætereuntes. Quæ tamen luculentiora erunt conferendo nostri (cum dabitur) iconem cum illius, sive MATTH. 725, sive LOBEL. *Ico.* 794, sive BAUHINI *Thea. Bot.* 250 figu-

figuris. Hinc etiam discrimen colligetur, quo separatur ab illo CABRÆI 551 *Equiseto majore, aquatico, altero*.

Ad natale solum quod attinet, primum nobis occurrit prope Mantuam palustribus campis insidens, deinde non infrequens in agris Veronensi, & Patavino.

Absolvimus tandem Imperfecti Floris Plantas, quorum descriptiones dum typis mandaremus, crebri ad aures nostras quorundam hominum rumores deferebantur, criminantes tum labores nostros, tum in primis inutilem diligentiam, qua Plantarum cerealium species sumus rimati: nihil interesse, utrum Triticum spicas nigras ferat, utrum rufas, & eas an duplici, an triplici aristarum vallo munitas, dummodo certum sit, esse eo, quo vescimur, deterius, vitiusque. non majorem accessurum proventum ad futuros annos, etsi tot Milii species sint recensitæ. eas tantum esse quærendas Plantas, quæ vel pulchritudinem præ se ferant, vel utilitatem. Ego vero his vocibus nihil moveor; neque enim hanc artem unquam ingressus fuissem, aut usque ad hanc diem prosecutus, si inanem vulgi reprehensionem reformidassem. Relinquamus itaque hominibus liberam loquendi facultatem, hæc universim de cunctis nostris Plantulis addendo: non quid utilius sit, non quid pulchrius, aut melius, a Botanicis perpendi, aut perquiri, sed quid sit, cujus forma, genere, viribus, & quotuplex: Arti nostræ nulla alia esse ornamenta, quam Plantas, his contentam, cætera recusare. Verum ut nulla molestia afficimur ob istiusmodi reprehensiones, quæ cunctas nostras Plantas universim petunt; non enim antea nescii eramus, fore qui eas dictis carperent: ita miramur non mediocriter, quod ista de cerealibus speciatim objiciant, quas ab omni detractione immunes fore non temere sperabamus. Quid enim aliud est, in quo majore cum laude elaborandum sit,

quam in eo, quod ad vitam hominis juvandam, sustentandamque aliquid conferre possit? An nos aliquid aliud in animo habemus, dum has Tritici & Milii species describimus, atque eas, veluti e tenebris ereptas, in hominum notitiam afferimus, quam ut harum usus, utilitas, & commoda, quæ apud paucos tantum, qui nunc possident, reperiuntur, in quam plurimos longe lateque diffundantur? Et tamen inventi sunt, quos hæc nostra industria, & minime inutilis labor offenderet, & qui vitio nobis darent, quod alicui fortasse laudi attribuendum erat. Sed videamus ista, quæ de hujusmodi Plantis dictitant, an vera sint: primum inutile esse, ajunt, tot Tritici species recensere, quod mihi non videtur. Etenim, cum omnis regio non omnia ferat, pluraque etiam sint non solum in montosis, in collinis, verum etiam in campestribus fundis, loca, quæ ob terreni sterilitatem commune Triticum fere nequeunt, si his nostris speciebus seminabuntur, non mediocriter respondebunt colonis; unde beneficia non contemnenda percipient homines ab istiusmodi inutilibus Plantis. At deteriores sunt communi Tritico istæ species. Quidni? Fatemur, non tamen inutiles, aut noxiæ, immo præter commune, quocunque alio frumento meliores. Præterea, (ut Oeconomicensi etiam tractem) diligentes patresfamilias non mediocriter hinc rem domesticam promovere poterunt: primum quod largius hæ species respondeant, quam vulgare Triticum, deinde quod in illis locis proveniant, quæ aut nihil, aut parum certe reddunt. Quod vero ad colores attinet, nos eos descripsimus, reliquos imitati Botanicos, a quibus similia discrimina in Plantis passim recensentur. Atenim, inquiunt, quæ utilitas ex illis coloribus existere possit, ignoramus. Naturam interrogent, quæ has varietates illis adjecit, non absque summo consilio, ut ab hominibus internoscerentur. Forsitan aliquando aliquis ex posteris nascetur, qui de his aliquid

per-

percipiet : quod mihi præsertim assidue peregrinanti nec tentare aut investigare quidem licet. Et hæc de coloribus. De Aristis autem possem dicere, id factum esse, ut quæ spicæ terno aristarum vallo muniuntur, tutiores essent ab avibus aliisque animalibus, ut idcirco, qui has seminaverit, minus infestatas segetes sit habiturus. De Milii speciebus respondemus, quod & de Triticis illis dici potest: Si agrorum cultores, postquam non amplius ignorant, eas tentare non recusent, invenient fortasse nonnullas pingues amare campos; nonnullas provenire etiam in gracilibus arvis, & macris, alias citius perfici, alias minus infestari ob anni intemperiem, ac facilius sustinere æstivos ardores, & torrida tempora. Porro siquis altius penetrare naturam in animum sibi induxerit, majora commoda deteget. Hæc respondemus istis curiosis laborum nostrorum reprehensoribus, ut si hominibus prodesse aut nolunt, aut non possunt, alios deterrere desinant. Nam si inhumanus ( ut ait Cicero ) esset Chremes ille Terentianus, qui nollet vicinum suum Menedemum in fundo conspicere.

*Fodere, aut arare, aut aliquid ferre denique,*

Nisi eo animo faceret, ut nimio labore, quo se senex ille cruciabat, avocaret quid de illis dicendum, qui nos, ne hominibus pro virili commoda perquiramus, abducere tentant?

# COMPENDII

## *PARS ALTERA*

## DE PLANTIS,

*Quæ certo ordine producuntur, atque generantur.*

## DIVISIO PRIMA

*De Plantis, quæ certo ordine producuntur, atque generantur, gemmas extra terram non ferentibus.*

## DIGESTIO ALTERA

*De Plantis, gemmas non ferentibus extra terram, Perfectis.*

## SECTIO ALIA

*De Plantis Perfectis Flore Perfecto, & Monopetalo.*

## I. CLASSIS TOURNEF. III.

*De Flore Monopetalo Anomalo.*

SCROPHULARIÆ SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Scrophularia vulgaris, foliis ad nodos ternis, & caule pentagono.*



Iximus de Plantis gemmas non ferentibus extra terram tum *Minus Perfectis*, quarum semen solum notum est, Flos adhuc in obscuro jacet; tum *Perfectis*, sed Flores Imperfectos producentibus: nunc hoc loco dicendum est, via & ratione qua cœpimus, de *Perfectis* Florem *Perfectum* habentibus, & primum de his, quæ edunt

edunt Florem unico petalo constantem. Hic itaque, ut a principio diximus, vel vagans quodammodo est, non ita nempe certæ, & regulari figuræ addictus, ut eam in pluribus generibus retineat. vel ad aliquas certas res refertur, quarum formam per plura genera imitando servat. Illum itaque primum sequar, deinde ad hunc transibo. Hujus Irregularis Floris duas tantum Plantas habemus, hanc nimirum Scrophulariam, &, quæ proxime sequetur, Pedicularem. Scrophularia primum nobis occurrit ab Euganeis collibus ad Aponenses thermas iter facientibus, postea vero secus vias sæpissime. Discriminatur autem non solum ordine foliorum a vulgari *Scrophularia nodosa, fœtida* C. B. *Pin.* 235, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 166, verum etiam caulis figura, quæ ex pyramidali quadrilatera fit pentagona.

Quoniam vero nos nonnullas Plantarum species hic recensemus, quæsitis differentiis ex foliorum ordine, non incongruum erit, Lectoribus nostris hujus facti rationem aliquam exhibere, ne sint, quos tam crebra earundem partium iteratio offendat, fastidioque afficiat. Diximus itaque id fecisse ducti cum ratione tum etiam auctoritate. Nam primum cum probe teneremus, non posse fieri ex quocunque humoris concursu, aut luxuriantis Plantæ vitio, nec non ex ubertate, aut infelicitate soli, ut pars aliqua explicaretur, quæ antea aut in gemmis, aut in semine non extitisset: ideo rati sumus, quidquid certo, & eximio ordine in pluribus progrederetur, id omne recta naturæ lege a suo principio proficisci, quod nexibus quibusdam, aut vinculis semen, vel gemma antea retineret. Quæ ratio, cum multum (ut par erat) apud nos valeret, effecit, ut plurimas Plantarum species a suis cognatis separaremus, quas addendo partes, natura ipsa sejunxerat. Itaque sine ulla hæsitatione & Scrophulariam hanc *foliis ad nodos ternis* descripsimus, & plerasque et-

iam

iam subjiciemus. Nam quod nonnulli dicunt has a natura minime ita se habere, vellem scire a quo principio nascantur; quod enim naturaliter non fit, neque semine, neque gemmis producitur. A quo igitur? An a terra? Sed hæc sententia in Perfectis Plantis jam ab omnibus exploditur, & ut falsa rejicitur. Præterea *Scrophularia*, exempl. gr., *vulgaris*, *nodosa*, *fœtida*, quæ folia tantum bina & bina egredientia nacta est, gignitur ex certo principio, de semine nempe: hæc nostra, quæ magis composita est, & plurium partium, tanquam Cœlo delapsa derepente extabit? Itaque fatendum est, aut utramque naturaliter ita oriri, ex suo semine, vel gemma nasci, aut neque illam: quod absurdum est, igitur necesse est, ut utraque naturali ordine progrediatur, &, cum altera ab altera differat discrimine illo, quod inter cæteras differentias ad constituendas species a Boranicis ponitur, jure quodam diversas facimus, & separatim collocamus.

Quod ad alteram partem spectat, etsi non multum auctoritate moveri soleamus, attamen, quoniam hæc cum ratione conjungitur, fatemur summorum virorum vestigiis nos institisse. Nam si licuit Casparo Bauhino in *Pinace* 245 tradere *Lysimachiam luteam*, *majorem*, *foliis binis*: *aliam*, *ternis*: *aliam*, *quaternis*, quibus Tournefortius *Inst. R. Herb.* 141 addidit quartam *foliis quinis*: nobis etiam sperandum est, neminem vitio daturum *Polygonatum nostrum*, *foliis ternis idem*, *quaternis idem*, *quinis*. Quod similiter dicendum est de *Anagallide cærulea*, *foliis binis ternisve ex adverso nascentibus* ejusdem C. B. *Pin.* 252, cui nos simillimam invenimus *Anagallidem phœniceam*, *foliis binis ternisve progredientibus*. Præterea multa alia extant exempla apud Auctores, quæ nobis imitanda proposuimus: ut in *Inst. R. Herb.* TOURNEF. 303, *Salcaria trifolia*, *caule hexagono*, cui similis nostra Scrophularia: item in BOCC. *Mus. Part.* 2. 22. *Tab.* 5 *Lysimachia siliquosa*, *purpurea*, *alpina*, *trifoliata*, sive *Chamæne-*

rium

*rium alpinum, foliis ad nodos ternis* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 303, cui nos addemus *Chamædrium alpinum, foliis ad nodos quaternis*. Itaque, cum omnibus sit æqua potestas, & commune jus, nobis id reprehensioni, quod illis vertitur laudi dandum non erit, qui his postremis temporibus nati, messe & spicilegio absolutis, cogimur non spicas, sed vix relicta grana hinc illinc rimari.

Sciendum tamen est, in hoc tantum libello hujusmodi Plantas a nobis proponi; in Tabulis enim nostris (etsi illæ apud suos auctores invenerint delineationes) nullum destinamus locum, cum ex sola descriptione ab omnibus satis possint intelligi.

### PEDICULARIS SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

/ *Pedicularis serotina, lutea, flore vario*.

IN collinis vallibus, qua parte Boreali regioni opponuntur, secus tramites, & ad veteres macerias hæc Planta autumnali tempore occurrit, & quo sæpius, eo magis atque magis admirari subit, cur usque ad hanc diem Botanicorum aufugerit oculos. Eadem loca incolit & *Pedicularis serotina, lutea* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 172. *Euphrasia pratensis, lutea* C. B. *Pin.* 234, a qua distinguitur nostra flore ex albo & luteo picto, illa cum luteum tantum ferat.

Com-

# Compendii Pars Altera

*De Plantis Perfectis Flore Perfecto, & Monopetalo.*

## II. CLASSIS TOURNEF. I.

*De Flore Monopetalo Regulari, & Campaniformi.*

NUnc aggredimur Plantas Monopetali, & Regularis Floris ex hujus forma in tres classes distinctas: in prima ponuntur, quæ Florem Campaniformem producunt. in secunda, quæ Infundibuliformem: in tertia, quæ Labiatum. De prima itaque primum dicemus: aliæ ordine sequentur. Hanc quadrifariam divido: in prima Particula colloco Plantas, quæ ferunt Florem Campaniformem Proprie dictum: in alia, quæ Campaniformem Tubulatum: in tertia, quæ Campaniformem Globosum: in quarta denique, quæ Campaniformem Patentem, de quibus singillatim nunc primam subjiciam.

## I. PARTICULA

*De Flore Monopetalo Campaniformi Proprie dicto.*

CAMPANULÆ SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

*1. Campanula Montis Summani, cumatili flore, parvo.*

CAmpanula itaque ( quæ nomen huic generi Floris dedit ) Florem edit Campaniformem Proprie dictum, cujus nimirum fundum & latera simul ampla sunt, os vero latius, & repandum. Et hæc de Floris natura: nunc descriptionem nostræ prosequamur.

Hæc radice palmum longa, & crassa semipollicem, sæpius in minores divisa, tollitur ad sesquicubitum, folia

lia explicans lata, oblonga, in ambitu dentata, quemadmodum Urtica gignit, ex utraque parte glabra, & expolita, brevique petiolo cauli adhærentia. At caulis simplex, ut plurimum, exortus, levis est, teres, non angulosus, neque hirsutus, prædensus foliis, ex quorum alis ramulos extrudit longiusculos, & floribus parvis ornatos, semunciali fere petiolo a sua origine distantibus, colore cœruleis in album languentibus. Altitudo totius Herbæ sesquicubitum.

In Summano solum vidi, atque huic peculiarem judico. Frequentissima nascitur in summo illius dorso, quod ad Boream spectat, & vulgo *Valle de la Noce* appellatur, gaudens sede ut frigida & opaca, ita proclivi & prona.

Porro, cum multa sit hujus nostræ similitudo cum *Erino* COLUM. 101 Φυτοβ., sive *Campanula, flore minore, albicante, ramosiore* MORIS. *Hist. Oxon. Part.* 2. 456, summa præstanda est diligentia, ut, & partes, prout naturaliter se habent, sub oculos ponantur, & differentiæ satis clare explicentur, signenturque.

Discrimina autem, quibus internoscuntur, hæc fere sunt. Folia in nostra haud *ὠκίμῳ ὅμοια*, neque *μικρότερα*, sed quocunque Ocimo majora, ita non *ἐνεσχισμένα ἐκ τῶν ἄνωθεν μερῶν* ( ut Dioscorides lib. 4 de sua Erino scriptum reliquit, cui similem suam Columna esse ait ) sed e contrario potius in ambitu dentata, præterquam in extremitate. Quod luculentius apparet in superioribus foliis, quæ *minus serrata* in sua a Columna & dicuntur, & delineantur. Flos cærulens sed pallidus in nostra gignitur: de illa dicitur *ἄνθη λευκά*, & etiam a Columna additur, suam aliquando flores edere *purpurascentes*. De caule autem quid dicam, qui nobis neque angulosus, sed teres, neque hirsutus, sed glaber ( cum etiam neque folia ulla ex parte hirsuta videantur ). in Columnæ illa omnia contra? Postremo ubi lacteus ille, & copiosus succus in nostra? Diosco-

rides de sua ita testatur: *ὀπῷ δὲ μεστὸς ὁ καυλὸς ὅδε, ϗ τὰ πέταλα*. Columna autem *tota Planta*, inquit, *ex radice ad florum calyces usque lacte manat dulci disrupta*; unde nomen. Quare Matthiolus, ut probabilius redderet, se Erinum invenisse, illam supposititiam Plantam lacteo succo abundare asserebat, dicens 707; *quippe quod Herbam hanc apud aquarum rivulos viderim, legerimque lacteo succo manantem, adeo ut eo manus inficeret*. Natalia quoque loca diversa sunt: nostram summos montes colere, neque aquosos: *illam* columnæ non *inveniri nisi aquosis locis, fontium, & fluviorum ripis*, & *in montium radicibus ubique frequentissimam*. Quod etiam Dioscorides a principio de sua dixerat. *Ἔρινος Φύεται περὶ ποταμοῖς, ϗ κρήναις*. Quam naturam cum probe sciret Nicander solum ex nutritio loco descripsit in suis Theriacis, *ϗ κλώθοντος ἐν ἀρτεζωντι ῥείθρῳ*. Quare sive Erinus Dioscoridis conveniat cum illa Columnæ, sive non, nostra hæc ab utraque differt.

*II. Campanula alpina, Urticæ folio, minor, floribus reflexis, & unico ordine dispositis, cæruleis.*

Invenimus in alpino quodam pago *Fosse* ab incolis nuncupato, dum in Sinarum montes proficiscebamur. Radicibus parvis, exilibus, & albidis cubitum surgit, stipata foliis ad Urticæ formam accedentibus. ipse caulis simplex, teres, non decrescens in ramulos, ad apicem usque indivisus perseverat. Pendent flores majores, quam in superiore, unico ordine dispositi, non sursum spectantes, sed deorsum revoluti, colore cærulei.

Porro diu in hac anceps fui, non dijudicans utrum conducibilius esset iconem exhibere, an potius non, sed tamen multa me in contrariam sententiam (ut nimirum hanc in Tabulis supprimerem) revocavere. Similitudo, quanta maxima potest inveniri, cum *Campanula alpina, glabra, flore dilutissime cæruleo* J. B. 2. 804, proceritas nempe eadem, caulis, folia, flores cum æqua-

quales, tum similiter dispositi, qui si languescerent in album colorem in nostra, quibus internoscerentur signis? Ad hoc & natalis locus convenit. Nam sola magnitudine differre ab illa videtur *Campanula Orientalis, pumila, angustifolia, floribus cæruleis, reflexis, uno versu dispositis* TOURNEF. *Cor.* 4.

*III. Campanula alpina, minima, integro, acuminato folio, flore albo.*

Hæc parvula Planta in Montibus Sinarum nascitur, apertis pratis gaudens, & apricis. Radicibus parvis, albidis, leviterque fibrosis proditur, cujus cauliculus teres, glaber, quamvis felici insideat solo, vix dodrantem implet. Folia, quæ subsunt, parva, & rotundiora, reliqua quæ ex caule egrediuntur, parva quidem, sed ex obtuso principio contrahuntur in fine. Prodeunt in summo caule flores candidi, & dense positi.

Nihil hæc nostra diversum gignit ab illa Ho. Mau. *Trachelio montano, minimo, integro, acuminato, oblongo folio, flore campanulato, cæruleo*, nisi floris colorem. Verum, quia Plantæ in Horto Mauroceno, a supra laudato Antonio Tita recensitæ, nondum fuere iconismis illustratæ, ideo huic in nostris Tabellis aptam dabimus sedem. Quod libentius faciemus, cum teneatnus eam differre cum humilitate caulis, tum forma, a communi quæ *Campanula pratensis, flore glomerato* dicitur C. B. *Pin.* 94, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 110.

## II. PARTICULA

### *De Flore Monopetalo Campaniformi* Tubulato:

POLYGONATI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Polygonatum non ramosum, angustifolium, foliis ex adverso ternis.*

*II. Idem, foliis quaternis.*

*III. Idem, foliis quinis.*

VEnio nunc ad secundam Floris Campaniformis Particulam, Tubulati nempe, quo nomine Florem illum Botanici appellant, qui, cum longiusculus sit, fundum, & latera angustiora habeat, & ipse veluti in tubum coarctetur. Similis figuræ florem Polygonata gignunt, quorum hæc nostra species sunt, de quibus nunc est sermo.

Frequentissima hæc nascuntur in Baldo, Summano, ac Sinarum, & *Vette* montibus, inter quas species continetur vulgare *Polygonatum non ramosum, angustifolium* C. B. *Pin.* 303, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 78, etsi, quænam sit, quam Auctores describunt, incertum sit; non enim ostenditur, an hæc foliis constet ternis, an quaternis, an quinis. Ideo nos ita distribuimus.

GENTIANÆ SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Gentiana Asclepiadis folio, flore albo in cœruleum languente.*

*II. Gentiana Asclepiadis folio, ex adverso terno.*

CUm Gentiana quoque sub Flore Campaniformi Tubulato contineatur: ideo nos has duas species hoc loco exponimus. Nunc strictim more nostro de singulis pauca dicamus, incipientes a prima.

Hæc

Hæc in Alpibus Sinarum naſcitur, peculiaris fortaſſe illius loci indigena: nobis nuſpiam certe, niſi in his montibus, unquam occurrit, neque ſemel aut bis reperta, ſed ſæpiſſime. Ibidem naſcitur quoque *Gentiana Aſclepiadis folio* C. B. *Pin.* 187 (qua nihil frequentius in his regionibus) quæ florem, ut plurimum, cæruleum, perraro ſubcineraceum producit. At noſtræ flos ineſt albus, cujus os cœruleum eſt quidem, verum pallore quodam ſuffectum, quæ varietates a cultura ſervantur.

Alteram autem vidimus in Baſſanenſibus montibus tertio foliorum ordine a vulgari differentem.

## III. PARTICULA

### *De Flore Monopetalo Campaniformi* Globoſo.

TITHYMALI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

1. *Tithymalus montanus, vernus, ſubhirſutus,* ἀμυγδαλοειδής.

SEquitur tertio loco Flos Campaniformis Globoſus, os nimirum cæteris partibus anguſtius ferens, quemadmodum in omnibus Tithymalis obſervatur, & in noſtris etiam, ideo ſub illo collocamus. Sex, præter vulgatas, Tithymalorum ſpecies annotavimus, quas ordine recenſemus.

Hæc prima circa fontes & uliginoſa loca naſcitur, ſæpe etiam in ſylvis radicibus oblongis, fibroſis, paucis, & colore albidis, ex quibus plures ſurgunt caules pedales fere, tetragoni, ſed adeo compreſſi, ut duo latera anguſtiora evadant, reliqua autem lata. Ex anguſtis folia oriuntur hinc atque illinc, alternatim, brevique hærent petiolo, anguſta primum, mox lata, rurſuſque circa finem obtuſiora fiunt, mollia autem ſunt, exilique obducta lanugine. Ex foliorum alis ramuſculi naſcuntur, breves, ad folia plerunque ſeſqui-

al

alteri: hi edunt flores longiusculo petiolo insidentes, forma globosos, quorum pistillum abit in fructum trigonum, seminibus fœtum oblongis. Primo, ut plurimum, vere germinat, medio flosculos explicat, sub finem perficit semen, deinde, ineunte æstate, inarescit.

Tanta vero intercedit dissimilitudo inter nostrum & *Tithymalum nemorosum, villosum, molliorem* BARR. *Tab.* 194, ut inutile sit, singillatim discrimina referre, cujus rei unusquisque ex Lectoribus nostris futurus est judex, cum dabitur & nostri icon.

*II. Tithymalus latifolius, sylvaticus, flore non lunato, & folio deciduo.*

Hic in Sylvis lætissimus alitur: frequentem invenimus ad radices Euganeorum collium circa uliginosa, & opaca loca densis consita Carpinis. Multiplici proditur radice, & subpurpurea, foliis autem latis, utraque parte in acumen contractis, mollibus, & glabris, quæ ex caule producit, alterno ordine exeunt, suo petiolo innixa, sed figura eadem, ac illa quæ ex radicibus. Porro multi & promiscue caules exeunt, altitudinis palmaris, teretes, glabri, & subpurpurei, floresque in summitate exhibent, ut congeneres, neque lunatos.

Ne autem hic videatur *Tithymalus nemorosus, alter, foliis latioribus, & firmioribus* BARR. *Icon.* 840, 230, nostrum folia non ferre neque ita longa, neque in exortu lata, sed angusta, præterea haud amplexicaulia, sed petiolo distantia ita quoque non subrecta, non firma, verum mollia, debilia, & oblique surgentia, adde & per æstatem decidua, quo tempore etiam caulis exinanitur, ac perit. Quocirca nitemur, ut partes ita repræsententur in Tabulis, ut recensita nuper discrimina conspiciantur.

III.

*III. Tithymalus prealtus, ramulis brevibus, simplicibus, & Salicis folio.*

Quoties hunc Tithymalum vidimus (vidimus autem sæpius) sabuleta incolere observavimus, & aridas ac sitientes ripas. Radicibus autem plurimis, oblongis, & firmis est, caulem vero sesquicubitalem producit, simplicem fere, teretem, & subpurpureum. At folia alternatim per caulem disposita, & plurima nullo petiolo innixa, forma autem oblonga, instar Salicis, colore luteola. Ex horum alis egrediuntur ramuli, breves, rotundioribus foliis, ac parvis ornati. Hi in summitate flores producunt, plures, luteos, & globosos, quorum media pars sive pistillum in fructum subrotundum glišcit, in ternas capsulas distinctum, semine fœtas subrotundo.

*IV. Idem, sed minor, & subhirsutus.*

Idem diximus, quoniam in utroque eadem est partium positura, ordo, numerus, figura, color, idem ramulorum processus atque recessus, Flores iidem, fructus, & semina eadem, omnia tamen proportione minora, unde fere se habet ad illum in subtripla quantitate. Præterea mollicula totus vestitur lanugine. In nascendo vero longe ab illo diversus, qui tantum gaudet Septentrionalibus, umbrosis, frigidisque locis.

Potest autem requiri, quid huic proprie vindicandum sit, quod deferatur in Tabulas, ego quidem, ut mea fert sententia, nihil huic attribuendum judico, quare neglecto discrimine tum lanuginis, quæ exilis nimium, & per se ab omnibus intelligitur, tum quantitatis, quæ in describendis figuris modo contrahitur, modo diducitur, utrumque sub unica figura comprehendam.

V.

*V. Tithymalus Sylvaticus, Oleæ folio, multicaulis, & radice longiore.*

Legimus multis in locis, in sylvis, opacisque saltibus, longa nixum radice, cui fibræ multæ adhærebant. Caules ad pedalem altitudinem nascentes qua seni, qua septeni, aut octeni ex singulis radicibus ramulos edunt breves, ac infrequentes, qui iisdem floribus, fructibus, & seminibus instruuntur, quemadmodum & reliqui congeneres. Folia autem, ut dixi, Oleæ simillima forma sunt, & saturo colore viridia.

Hunc quoque, cum ab omnibus diversus videatur, delineandum curabimus; Etenim ille, qui occurrit *in* BARR. *Tab.* 834. *Tithymalus acutiori folio, dulcis*, alius profecto est: & ab hoc sejungitur noster, primum sapore acri, & caulibus non rubris, deinde foliis non amygdaloidibus, neque acutis, ut illius describuntur, postremo quod nascitur in locis opacis, humidis, & feracibus, ille sabulosis, & aridis.

*VI. Tithymalus alpinus, foliis acuminatis, serratis.*

Ad Sinarum radices contra Septentrionem sitas incolit hic elegantissimæ formæ Tithymalus anfractuosa loca, & pleraque devia. Radice innititur plurima, repante, ac subpurpurea, quæ plures gignit caules, pedales plerunque. Ex his folia absque petiolo prodeunt, duorum digitorum longitudine, acuminata ad exortum, quæ mox latiora fiunt, deinde rursus contrahuntur, desinuntque in acutiorem finem. Denticuli autem hinc illinc in foliorum margine disponuntur. Circa finem Caulis (ex qua parte ramuli flores edentes nascuntur) quatuor folia decussatim ordinantur, quæ ad basim latiora sunt. Flores luteos vidimus, forma instructos, ut in plerisque Tithymalis. Semina ob regionis intemperiem nunquam maturescunt.

Porro multum abest hæc Tithymali species a *Tithy-*

*malo*

*malo ferrato Dalechampii* J. B. 3. 675, & CABR. 534, primum, quod hic Dalechampii cubitalis est, deinde quod folia uncialia producit, postremo quod hæc folia non ita acuminata sunt, ac in nostro. Quare nos cum reliquis nostris in Tabulas transferendum censemus.

## IV. PARTICULA

### *De Flore Monopetalo Campaniformi* Patente.

ASCLEPIADIS SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Asclepias flore albo, foliis terno ordine egredientibus.*

*II. Eadem, foliis inferioribus ternis, superioribus binis.*

CUm Asclepias florem producat latiorem, quam superiores omnes Plantæ, ore nempe & lateribus magis, quam fundo, patentem, ideo non sine ratione Patentis Floris Planta a Cl. Tournefortio nuncupatur. Quocirca, cum nos nacti simus duas Asclepiadis species, sub hoc Campaniformi Flore, & Patente reponimus.

Hæ autem inveniuntur in montibus humilioribus, in collibus, in clivis, neque infrequentes, nascuntur fere ad agrorum macerias, in vepribus, & secus montium vias. Distinguuntur autem a vulgari *Asclepiade flore albo*, C. B. *Pin* 307, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 94, cui folia bina & bina exeunt: illa quidem foliis ad singulos nodos terno, quod a radice ad apicem usque eodem ordine producitur. hæc autem quod inferiorem caulem tribus quatuorve foliorum ordinibus terno ordine egredientium exornatum gignit, superiorem vero binis & binis tantum foliis, ut in vulgari, dispositis edit instructum.

L Com-

# Compendii Pars Altera

## *De Plantis Perfectis Flore Perfecto, & Monopetalo.*

### III. CLASSIS TOURNEF. II.

#### *De Flore Monopetalo Infundibuliformi.*

QUemadmodum proximus Flos Campaniformis, ut diximus, Quadrifariam a Botanicis dividitur, ita quoque hic Infundibuliformis trifariam, in Infundibuliformem nimirum proprie dictum, in Hypocrateriformem, & in Rotatum. Horum medium, Hypocrateriformem nempe, nos hic præteribimus, quoniam nullas recensendas species in præsentiarum habemus ejusmodi Florem gignentes: reliquos duos ordine sequemur, Plantulasque nostras, quæ sub hos cadunt, subjiciemus.

### I. PARTICULA

#### *De Flore Monopetalo Infundibuliformi proprie dicto.*

LITHOSPERMI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Lithospermum Alpinum, minus, flore purpurascente.*

*II. Idem, flore candido.*

FLos Infundibuliformis *proprie* dictus ex figura illius instrumenti, quo in vasa liquores infundimus (quod Græci Ἐπίχυσιν, nos vernacula lingua *Imbuto* appellamus) nomen invenit apud Botanicos, hujus enim pars inferior in tubum desinit, latera & os in coni inversi superficiem dilatantur. Hujusmodi Flos observatur

vatur cum in multis Plantarum generibus, tum in primis etiam in Lithospermo, cujus species hæ nostræ sunt. De quibus simul dicamus pauca.

Collegimus utrumque in Alpibus: illud in Baldo, nascens intra vallem, quæ *Frigida* a pastoribus nuncupatur: hoc in Alpe Cornelia *Calcerone*, quam amplissimus Cardinalis Cornelius possidet in Bassanensi regione. Differunt autem ab illo, quod in arvis nascitur, *Lithospermo arvensi, minore* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 137. *Echio scorpioide, arvensi* C. B. *Pin.* 254, illud quidem flore purpurascente, hoc albo, cum vulgare cæruleum ferat.

CYNOGLOSSI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Cynoglossum majus, vulgare, flore purpureo.*

CYnoglossum quoque sub Flore Infundibuliformi continetur, cui, etsi nonnullæ species recenseantur, hanc ab illis diversam addendam judicavimus. Primo in agro Mantuano secus agrorum lacunas invenimus, deinde prope Patavium, quam postea vulgo natam in viis, in aggeribus, collibusque vidimus. Cæterum floris tantum discrimine, qui purpureus est, separatur a vulgari *Cynoglosso majori* C. B. *Pin.* 257, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 139, quod cæruleum producit.

## II. PARTICULA

### *De Flore Monopetalo* Rotato.

ANAGALLIDIS SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

*I. Anagallis phœnicea, foliis binis, ternisve egredientibus.*

*II. Eadem, flore albo.*

FLos Rotatus, qui sub Classe Floris Infundibulifor-mis collocatur, revera ab Infundibuliformi longe distat, ex inferiore enim parte brevis est, lateribus & ore expansis, ac in partes divisis, quas veluti radios in orbem disponit. Nos tamen, sequentes sententiam studiosorum hujus artis, nihil in hac re innovandum judicavimus. divisimus tantum alterum ab altero, cum antea confunderentur. Hujus Rotati Floris nonnullas species annotavimus, quas, ab his Anagallidibus incipientes, singillatim describemus.

Cum videamus a Cl. Tournefortio *Inst. R. Herb.* 142 recensitam *Anagallidem cæruleam, foliis binis, ternisve ex adverso nascentibus*, quam ex Pinace C. B. 252 desumpserat, & quæ species est *Anagallidis fæminæ*, nos in altera specie, quæ *mas* dicitur, inventas simillimas, colore tantum florum distinctas, fidentius hic ponimus; neque enim illa infrequentiores occurrunt in arvis, hortisve.

VERONICÆ SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

*I. Veronica aquatica, angustioribus foliis, ad singulos nodos ternis.*

*II. Veronica aquatica, longioribus foliis, ad nodos ternis.*

*III. Eadem, quaternis.*

CUm nullo Florum discrimine sejungantur Anagallides a Veronicis, ideo nos hasce nostras statim

subji-

subjicimus, quæ omnes in agro Patavino stagnantibus aquis insidentes inveniuntur. Porro prima ternis foliorum ordinibus separatur a *Veronica aquatica, angustiore folio* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 145, sive *Anagallide aquatica, angustifolia, scutellata* C. B. *Pin.* 252, quæ tantum bina & bina nascentia folia producit. Reliquæ quoque eodem foliorum discrimine dirimuntur a *Veronica aquatica, majore, folio oblongo* MORIS. *Hist. Oxon. Part.* 2. 325, sive *Anagallide aquatica, folio oblongo* C. B. *Pin.* 252: altera quidem foliis ternis & ternis egredientibus, altera vero quaternis.

*IV. Veronica alpina, spicata, minor, πολύστιχυς, ac densa.*

Plantula hæc de parvis radiculis quadrantalem gignit caulem, cui folia parva, bina & bina æquali intervallo disposita nascuntur, per circumferentiam denticulata. Caulis autem circa medium in plures ramusculos dividitur, qui fere paralleli prædenso agmine sursum feruntur. In his flores cærulei in spicarum formam circumquaque oriuntur.

Hæc sola inter Veronicas nostras retinebitur in Tabulis; nam, quæ sequuntur folia lata producentes, nullo negotio ad iconismos cognatæ *Veronicæ petrææ, sempervirentis* PON. revocari possunt, modo majora folia nobis fingamus.

*V. Veronica petræa sempervirens, latifolia, foliis tenuibus, pallidis, ac flore albo.*

*VI. Eadem, flore purpurascente.*

Quantum hæ nostræ differant a communi *Veronica petræa, sempervirente* PON. *Bald. in fol.* 336, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 144, ex ipsa descriptione satis innotescere arbitror. Distinguuntur autem inter se florum tantum colore, albo in prima, purpurascente in altera.

Has

Has ſolum in *Vette* collegimus, quæ nihilominus in illa Alpe non vulgo occurrunt, ſed certum tenent locum, quem paucis, quo facilius unuſquiſque inveniat, indicabimus.

Ut primum, dorſo illo immani ſuperato (*Coſtas* vocant), ad fauces illas perveneris, qua tantum in ſubjectas valles patet iter, brevi intervallo ſiniſtrorſum a trita ſemita tibi eſt declinandum, inde quacunque per arctas & confragoſas rupes via invenitur, audacius perge. Cum autem perventum eſt ad altiorem partem, collige te, & pedetentim, ſimiliter contra Occidentalem regionem incedendo, tentabis aditum. Porro hinc procul ſint inſueti, & timidi, neceſſe quippe eſt, ut per rectam rupem, manibus modo Chamærhododendros, modo cautes retinens, quinquaginta paſſus te demittas in quoddam exporrectum ſaxum. Hoc ſubjectæ imminet regioni, hoc tanquam certa ſedes a montanis capreis petitur. Huic nonnullæ noſtræ Veronicæ inſidere ſolent, ſed his non contento dextra eundum eſt via (ſi via dicenda). Hæc omnium iniquiſſima eſt, cum tantum extra rupem emineat, quantum tuo occupabis veſtigio, reliqua parte in pedum quingentorum admodum altitudinem exciditur. Hanc itaque ingreſſus, qua manibus, qua pedibus innixus, & illis & his viciſſim hærendo, ſenſim & paulatim ad æquiorem locum pervenies. Ibidem per herbidum, & amplum tractum lætiſſimæ hæ Veronicæ naſcuntur larga manu legendæ. Cæterum iiſdem veſtigiis redeundum eſt.

*VII. Veronica petræa, ſempervirens, vulgaris, foliis ternis & ternis naſcentibus.*

Hanc quoque novo foliorum ordine diverſam legimus a vulgari *Veronica petræa, ſempervirente* PON. in Summano, naſcentem in altiore jugo, quod ex vana antiquorum religione Idoli nomen adhuc ſervat.

VER

VERBASCI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

I. *Verbascum alpinum, minus, Salvifolium, tomentosum.*

II. *Idem, flore albo.*

Supersunt hæc ex nostris Plantulis Rotato Flore ornatis, quæ in Cornelia quoque Alpe primum hoc anno vidimus, postea vero ex Vallaccia descendentes circa quosdam lapidosos tractus invenimus, atque eruimus. Radice sunt oblonga, fibrosa, firma, caule cubitali, non ramoso, foliis autem similibus Salviæ. In summitate gerunt flores illud quidem luteos, hoc autem albicantes, circumpositos & prædense nascentes. Porro utrumque tomento subrufo obducitur.

Hæc nobis non fine ratione ab omnibus aliis, quæ ab auctoribus Botanicis memorantur, Verbasci speciebus, diversa videntur, ideo hoc loco cæteris nostris inferenda judicamus, quousque rursus in Tabulas nostras transferamus.

Com-

# Compendii Pars Altera

*De Plantis Perfectis Flore Perfecto, & Monopetalo.*

## IV. CLASSIS TOURNEF. IV.

### *De Flore Monopetalo* Labiato.

VIdeamus nunc breviter, sicut cætera, & Labiati Floris naturam, & differentias. Flos Labiatus ita dicitur, qui, cum inferiorem partem, qua calyci insidet, in fistulam producat, os modo in unam, modo in duas partes divisum gignit, quæ labia dicuntur, & a positione unum superius, alterum inferius appellamus vulgo Botanici. De Flore Labiato unico labio instructo, nihil amplius addam, nam hujusmodi Floris nullas habeo recensendas Plantas. De altero dicam: hic ex diversa figura superioris labii, diversas subit differentias, & separatim ponitur. Hoc namque labium modo in formam galeæ curvatur, modo in falcis figuram producitur, modo in cochlearis sinum excavatur, modo denique distensum est, erectum, sursumque fertur. Et hæc de hujusmodi Flore nunc reliquum est, ut Plantas nostras inter hasce Floris differentias collocemus, sequentes ordinem, quo hæc discrimina hic recensuimus.

I. PAR-

## I. PARTICULA

*De Flore Monopetalo*, Labiato *cujus labium superius in* formam galeæ *disponitur*.

BRUNELLÆ SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Brunella alpina, latifolia, ramosa, hirsuta, flore parvo, cæruleo.*

*II. Eadem, flore albo.*

BRunella Florem ejusmodi producit, Labiatum nempe, in duas partes divisum, quarum superior galeata est, inferior trifariam separatur, media sinuosa. Hujus generis septem annotavimus species, quas statim subjiciemus, incipientes primum ab hisce.

Has porro Brunellas alpinas semper in Alpibus, summisque jugis invenimus (nascuntur enim, ut plurimum, inter convalles, roscidosque tractus, qui inter vertices, & vertices jacent), primum & frequentissimas observavimus prope pagulum quendam (*Fongaja* vocant Incolæ) cui ab Oriente sole Merana imminet. Radices plures gignunt, oblongas, tenues, paucis fibris divisas, atque colore albidas, ex his folia exeunt lata, oblonga, hac nimirum forma: qua parte petiolo innituntur, brevia sunt, inde dilatantur, & rursus, circa extremitatem contracta, acuminata fiunt, sunt autem subhirsuta. Hac figura prædita & illa sunt, quæ a caule oriuntur, bina & bina disposita, licet quo magis ad finem caulis accedunt, eo minora evadant. At caulis & multiplex exit, & statim tribus digitis a terra ramosus fit, tetragonus figura, altitudine dextanti æqualis, & subhirsutus. Porro ramuli hinc atque illinc ex alis foliorum, egrediuntur, flores in spicas colligentes, parvos, & cæruleos in prima, albos in altera.

*V. Tithymalus Sylvaticus, Oleæ folio, multicaulis, & radice longiore.*

Legimus multis in locis, in sylvis, opacisque saltibus, longa nixum radice, cui fibræ multæ adhærebant. Caules ad pedalem altitudinem nascentes qua seni, qua septeni, aut octeni ex singulis radicibus ramulos edunt breves, ac infrequentes, qui iisdem floribus, fructibus, & seminibus instruuntur, quemadmodum & reliqui congeneres. Folia autem, ut dixi, Oleæ simillima forma sunt, & saturo colore viridia.

Hunc quoque, cum ab omnibus diversus videatur, delineandum curabimus, Etenim ille, qui occurrit *in* BARR. *Tab. 834. Tithymalus acutiori folio, dulcis*, alius profecto est & ab hoc sejungitur noster, primum sapore acri, & caulibus non rubris, deinde foliis non amygdaloidibus, neque acutis, ut illius describuntur; postremo quod nascitur in locis opacis, humidis, & felicibus ille sabulosis, & aridis.

*VI. Tithymalus alpinus, foliis acuminatis, serratis.*

Ad Sinarum radices contra Septentrionem sitas incolit hic elegantissimæ formæ Tithymalus anfractuosa loca, & pleraque devia. Radice innititur plurima, reptante, ac subpurpurea, quæ plures gignit caules, pedales plerunque. Ex his folia absque petiolo prodeunt, duorum digitorum longitudine, acuminata ad exortum, quæ mox latiora fiunt, deinde rursus contrahuntur, desinuntque in acutiorem finem. Denticuli autem hinc illinc in foliorum margine disponuntur. Circa finem Caulis (ex qua parte ramuli flores edentes nascuntur) quatuor folia decussatim ordinantur, quæ ad basim latiora sunt. Flores luteos vidimus, forma instructos, ut in plerisque Tithymalis. Semina ob regionis intemperiem nunquam maturescunt.

Porro multum abest hæc Tithymali species a *Tithy-*

*malo*

*malo ferrato Dalechampii* J. B. 3. 675, & CAPR. 534, primum, quod hic Dalechampii cubitalis est, deinde quod folia uncialia producit, postremo quod hæc folia non ita acuminata sunt, ac in nostro. Quare nos cum reliquis nostris in Tabulas transferendum censemus.

## IV. PARTICULA

### *De Flore Monopetalo Campaniformi* Patente.

ASCLEPIADIS SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

I. *Asclepias flore albo, foliis terno ordine egredientibus.*

II. *Eadem, foliis inferioribus ternis, superioribus binis.*

CUm Asclepias florem producat latiorem, quam superiores omnes Plantæ, ore nempe & lateribus magis, quam fundo, patentem; ideo non fine ratione Patentis Floris Planta a Cl. Tournefortio nuncupatur. Quocirca, cum nos nacti simus duas Asclepiadis species, sub hoc Campaniformi Flore, & Patente reponimus.

Hæ autem inveniuntur in montibus humilioribus, in collibus, in clivis, neque infrequentes, nascuntur fere ad agrorum macerias, in vepribus, & secus montium vias. Distinguuntur autem a vulgari *Asclepiade flore albo*, C. B. *Pin.* 307, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 94, cui folia bina & bina exeunt: illa quidem folio ad singulos nodos terno, quod a radice ad apicem usque eodem ordine producitur: hæc autem quod inferiorem caulem tribus quatuorve foliorum ordinibus terno ordine egredientium exornatum gignit, superiorem vero binis & binis tantum foliis, ut in vulgari, dispositis edit instructum.

L Com-

# Compendii Pars Altera

*De Plantis Perfectis Flore Perfecto, & Monopetalo.*

## III. CLASSIS TOURNEF. II.

*De Flore Monopetalo Infundibuliformi.*

QUemadmodum proximus Flos Campaniformis, ut diximus, Quadrifariam a Botanicis dividitur, ita quoque hic Infundibuliformis trifariam, in Infundibuliformem nimirum proprie dictum, in Hypocrateriformem, & in Rotatum. Horum medium, Hypocrateriformem nempe, nos hic prætеribimus; quoniam nullas recensendas species in præsentiarum habemus ejusmodi Florem gignentes: reliquos duos ordine sequemur, Plantulasque nostras, quæ sub hos cadunt, subjiciemus.

## I. PARTICULA

*De Flore Monopetalo Infundibuliformi* proprie *dicto.*

LITHOSPERMI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Lithospermum Alpinum, minus, flore purpurascente.*

*II. Idem, flore candido.*

FLos Infundibuliformis *proprie* dictus ex figura illius instrumenti, quo in vasa liquores infundimus (quod Græci *ἐγχύειν*, nos vernacula lingua *Imbuto* appellamus) nomen invenit apud Botanicos, hujus enim pars inferior in tubum desinit, latera & os in coni inversi superficiem dilatantur. Hujusmodi Flos obser-

vatur

ἐπίχυσις. [illegible] batio, infusio, non [illegible]
[illegible] dicitur χώνος. infundibulum [illegible] infundibuliformis

vatur cum in multis Plantarum generibus, tum in primis etiam in Lithospermo, cujus species hæ nostræ sunt. De quibus simul dicamus pauca.

Collegimus utrumque in Alpibus illud in Baldo, nascens intra vallem, quæ *Frigida* a pastoribus nuncupatur: hoc in Alpe Cornelia *Calcerone*, quam amplissimus Cardinalis Cornelius possidet in Bassanensi regione. Differunt autem ab illo, quod in arvis nascitur, *Lithospermo arvensi, minore* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 137. *Echio scorpioide, arvensi* C. B. *Pin.* 254, illud quidem flore purpurascente, hoc albo, cum vulgare cæruleum ferat.

CYNOGLOSSI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Cynoglossum majus, vulgare, flore purpureo.*

CYnoglossum quoque sub Flore Infundibuliformi continetur, cui, etsi nonnullæ species recenseantur, hanc ab illis diversam addendam judicavimus. Primo in agro Mantuano secus agrorum lacunas invenimus, deinde prope Patavium, quam postea vulgo natam in viis, in aggeribus, collibusque vidimus. Cæterum floris tantum discrimine, qui purpureus est, separatur a vulgari *Cynoglosso majori* C. B. *Pin.* 257, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 139, quod cæruleum producit.

L 2 IL

## II. PARTICULA

### *De Flore Monopetalo* Rotato.

ANAGALLIDIS SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

*I. Anagallis phœnicea, foliis binis, ternisve egredientibus.*

*II. Eadem, flore albo.*

FLos Rotatus, qui sub Classe Floris Infundibuliformis collocatur, revera ab Infundibuliformi longe distat, ex inferiore enim parte brevis est, lateribus & ore expansis, ac in partes divisis, quas veluti radios in orbem disponit. Nos tamen, sequentes sententiam studiosorum hujus artis, nihil in hac re innovandum judicavimus divisimus tantum alterum ab altero, cum antea confunderentur. Hujus Rotati Floris nonnullas species annotavimus, quas, ab his Anagallidibus incipientes, singillatim describemus.

Cum videamus a Cl. Tournefortio *Inst. R. Herb.* 142 recensitam *Anagallidem cæruleam, foliis binis, ternisve ex adverso nascentibus*, quam ex Pinace C. B. 252 desumpserat, & quæ species est *Anagallidis fœminæ*, nos in altera specie, quæ *mas* dicitur, inventas simillimas, colore tantum florum distinctas, fidentius hic ponimus, neque enim illa infrequentiores occurrunt in arvis, hortisve.

VERONICÆ SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

*I. Veronica aquatica, angustioribus foliis, ad singulos nodos ternis.*

*II. Veronica aquatica, longioribus foliis, ad nodos ternis.*

*III. Eadem, quaternis.*

CUm nullo Florum discrimine sejungantur Anagallides a Veronicis, ideo nos hasce nostras statim subji-

ſubjicimus, quæ omnes in agro Patavino ſtagnantibus aquis inſidentes inveniuntur. Porro prima ternis foliorum ordinibus ſeparatur a *Veronica aquatica, anguſtiore folio* TOURNEF. *Inſt. R. Herb.* 145, ſive *Anagallide aquatica, anguſtifolia, ſcutellata* C. B. *Pin.* 252, quæ tantum bina & bina naſcentia folia producit. Reliquæ quoque eodem foliorum diſcrimine dirimuntur a *Veronica aquatica, majore, folio oblongo* MORIS. *Hiſt. Oxon. Part.* 2. 325, ſive *Anagallide aquatica, folio oblongo* C. B. *Pin.* 252: altera quidem foliis ternis & ternis egredientibus, altera vero quaternis.

*IV. Veronica alpina, ſpicata, minor, πολύςαχυς, ac denſa.*

Plantula hæc de parvis radiculis quadrantalem gignit caulem, cui folia parva, bina & bina æquali intervallo diſpoſita naſcuntur, per circumferentiam denticulata. Caulis autem circa medium in plures ramuſculos dividitur, qui fere paralleli prædenſo agmine furſum feruntur. In his flores cærulei in ſpicarum formam circumquaque oriuntur.

Hæc ſola inter Veronicas noſtras retinebitur in Tabulis, nam, quæ ſequuntur folia lata producentes, nullo negotio ad iconiſmos cognatæ *Veronicæ petrææ, ſempervirentis* PON. revocari poſſunt, modo majora folia nobis fingamus.

*V. Veronica petræa ſempervirens, latifolia, foliis tenuibus, pallidis, ac flore albo.*

*VI. Eadem, flore purpuraſcente.*

Quantum hæ noſtræ differant a communi *Veronica petræa, ſempervirente* PON. *Bald. in fol.* 336, & TOURNEF. *Inſt. R. Herb.* 144, ex ipſa deſcriptione ſatis innoteſcere arbitror. Diſtinguuntur autem inter ſe florum tantum colore; albo in prima, purpuraſcente in altera.

Has

Has solum in *Vette* collegimus, quæ nihilominus in illa Alpe non vulgo occurrunt, sed certum tenent locum, quem paucis, quo facilius unusquisque inveniat, indicabimus.

Ut primum, dorso illo immani superato (*Costas* vocant), ad fauces illas perveneris, qua tantum in subjectas valles patet iter, brevi intervallo sinistrorsum a trita semita tibi est declinandum, inde quacunque per arctas & confragosas rupes via invenitur, audacius perge. Cum autem perventum est ad altiorem partem, collige te, & pedetentim, similiter contra Occidentalem regionem incedendo, tentabis aditum. Porro hinc procul sint insueti, & timidi, necesse quippe est, ut per rectam rupem, manibus modo Chamærhododendros, modo cautes retinens, quinquaginta passus te demittas in quoddam exporrectum saxum. Hoc subjectæ imminet regioni, hoc tanquam certa sedes a montanis capreis petitur. Huic nonnullæ nostræ Veronicæ insidere solent, sed his non contento dextra eundum est via (si via dicenda). Hæc omnium iniquissima est, cum tantum extra rupem emineat, quantum tuo occupabis vestigio, reliqua parte in pedum quingentorum admodum altitudinem exciditur. Hanc itaque ingressus, qua manibus, qua pedibus innixus, & illis & his vicissim hærendo, sensim & paulatim ad æquiorem locum pervenies. Ibidem per herbidum, & amplum tractum lætissimæ hæ Veronicæ nascuntur larga manu legendæ. Cæterum iisdem vestigiis redeundum est.

*VII. Veronica petræa, sempervirens, vulgaris, foliis ternis & ternis nascentibus.*

Hanc quoque novo foliorum ordine diversam legimus a vulgari *Veronica petræa, sempervirente* PON. in Summano, nascentem in altiore jugo, quod ex vana antiquorum religione Idoli nomen adhuc servat.

VER-

VERBASCI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

I. *Verbascum alpinum, minus, Salvifolium, tomentosum.*

II. *Idem, flore albo.*

SUperfunt hæc ex noftris Plantulis Rotato Flore ornatis, quæ in Cornelia quoque Alpe primum hoc anno vidimus, poftea vero ex Vallaccia defcendentes circa quofdam lapidofos tractus invenimus, atque eruimus. Radice funt oblonga, fibrofa, firma, caule cubitali, non ramofo, foliis autem fimilibus Salviæ. In fummitate gerunt flores: illud quidem luteos, hoc autem albicantes, circumpofitos & prædenfe nafcentes. Porro utrumque tomento fubrufo obducitur.

Hæc nobis non fine ratione ab omnibus aliis, quæ ab auctoribus Botanicis memorantur, Verbafci fpeciebus, diverfa videntur, ideo hoc loco cæteris noftris inferenda judicamus, quoufque rurfus in Tabulas noftras transferamus.

Com-

# Compendii Pars Altera

*De Plantis Perfectis Flore Perfecto, & Monopetalo.*

## IV. CLASSIS TOURNEF. IV.

### *De Flore Monopetalo* Labiato.

Videamus nunc breviter, sicut cætera, & Labiati Floris naturam, & differentias. Flos Labiatus ita dicitur, qui, eum inferiorem partem, qua calyci insidet, in fistulam producat, os modo in unam, modo in duas partes divisum gignit, quæ labia dicuntur, & a positione unum superius, alterum inferius appellamus vulgo Botanici. De Flore Labiato unico labio instructo, nihil amplius addam, nam hujusmodi Floris nullas habeo recensendas Plantas. De altero dicam: hic ex diversa figura superioris labii, diversas subit differentias, & separatim ponitur. Hoc namque labium modo in formam galeæ curvatur, modo in falcis figuram producitur, modo in cochlearis sinum excavatur, modo denique distensum est, erectum, sursumque fertur. Et hæc de hujusmodi Flore. nunc reliquum est, ut Plantas nostras inter hasce Floris differentias collocemus, sequentes ordinem, quo hæc discrimina hic recensuimus.

I. PAR-

## I. PARTICULA

*De Flore Monopetalo*, Labiato *cujus labium superius in* formam galeæ *disponitur*.

BRUNELLÆ SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Brunella alpina, latifolia, ramosa, hirsuta, flore parvo, cæruleo.*

*II. Eadem, flore albo.*

BRunella Florem ejusmodi producit, Labiatum nempe, in duas partes divisum, quarum superior galeata est, inferior trifariam separatur, media sinuosa. Hujus generis septem annotavimus species, quas statim subjiciemus, incipientes primum ab hisce.

Has porro Brunellas alpinas semper in Alpibus, summisque jugis invenimus (nascuntur enim, ut plurimum, inter convalles, roscidosque tractus, qui inter vertices, & vertices jacent), primum & frequentissimas observavimus prope pagulum quendam (*Fongaja* vocant Incolæ) cui ab Orieute sole Merana imminet. Radices plures gignunt, oblongas, tenues, paucis fibris divisas, atque colore albidas, ex his folia exeunt lata, oblonga, hac nimirum forma · qua parte petiolo innituntur, brevia sunt, inde dilatantur, & rursus, circa extremitatem contracta, acuminata fiunt, sunt autem subhirsuta. Hac figura prædita & illa sunt, quæ a caule oriuntur, bina & bina disposita, licet quo magis ad finem caulis accedunt, eo minora evadant. At caulis & multiplex exit, & statim tribus digitis a terra ramosus fit, tetragonus figura, altitudine dextanti æqualis, & subhirsutus. Porro ramuli hinc atque illinc ex alis foliorum, egrediuntur, flores in spicas colligentes, parvos, & cæruleos in prima, albos in altera.

Refert præclarus auctor Tournefortius *Inst. R. Herb.* 182 *Brunellam latifoliam, Italicam, flore carneo* BARR. *Icon.*, quam postea excusam *Icon.* 562 sub ipsius Cl. Barrelieri nomine habemus. Hæc aliquam similitudinem cum nostris præ se fert, etsi in pluribus differat: illa enim gignit folia ad *basim latiora*, & *obtuse mucronata*, *sinuosa*, *glabra*, nostræ in exortu angusta, deinde lata, postremo rursus angusta, & acuminata. Flores illius disponuntur in spicas breviores, quam in vulgaribus Brunellis, nostris in æqualiter longas. Hi vero flores, an magni an parvi sint, in illa non describuntur, sed solum carnei, hæ parvos, cæruleos, vel albos producunt. Adde, nostras in summis montibus vigere, illam Romæ inventam non solum campestri, sed calidiore situ. Quare manifestum relinquitur, nostras ab illa differre, sed non longiore intercapedine, idcirco danda erit opera, ut summa artificum diligentia nostrarum una in ære figatur, ne cum Barrelierana harum imago confundatur.

*III. Brunella minor, hirsuta, luteolo flore.*

*IV Eadem, foliis superioribus divisis, & flore ex albo variegato.*

Quoniam simillimæ sunt, & inveniuntur etiam, ut plurimum, promiscue nascentes, ideo de utraque simul dicemus. Brevibus, exilibusque radicibus constant; caule vero semipalmari, tetragono, subhirsuto, foliis quoque parvis, & subhirsutis, & in utraque ad radicem integris, quæ autem superiora producunt: illa gignit integra, hæc vero divisa. Flores quoque similes ferunt, sed colore distinctos: illa subluteos, hæc subluteos quidem, sed maculis albis signatos. Facile tamen utraque a vulgata *Brunella minore, alba, laciniata* C. B. *Pin.* 261, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 183 separantur, prima quidem cum florum colore, tum foliis in-

indivisis (idcirco ratio hujus in Tabulis servabitur) altera solum florum varietate.

*V. Brunella Hyssopifolia, foliis superioribus leviter crenatis, & vario flore.*

Quæ a Cl. Tournef. *Inst. R. Herb.* 183 describitur *Brunella Hyssopifolia* C. B. *Pin.* 261, & quæ in collibus, atque locis editis, incultisque passim reperitur, alia & diversa habenda est a nostra, separantur namque tum ob foliorum formam, crenatorum nempe in nostra, tum ob pictos flosculos. Quare a ratione haud alienum faciemus, si hujus imaginem in Tabellas nostras retulerimus. Ita ab unoquoque facilius, quam verborum descriptione, illa discrimina intelligentur. Quod ob eandem causam & de nostra septima Brunellarum faciendum judicamus.

o Hyssopi-folia

*VI. Brunella major, folio non dissecto, hirsuto, flore parvo, cæruleo.*

*VII. Eadem, foliis inferioribus integris, superioribus divisis.*

Et illam & hanc legimus a vulgatis diversas: primam quidem a *Brunella majori, folio non dissecto* C. B. *Pin.* 260, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 182, quoniam exploratum habemus nostram & caulem & folia hirsuta ferre; alteram vero a *Brunella majore, folio leviter crenato* C. B. *Pin.* 261, quippe hæc nostra & hirsuta est, & profundius secta folia producit.

*VIII. Brunella cæruleo, magno flore, ex albo variegato.*

Cum Brunellarum aliæ ferant flores parvos; aliæ magnos, nos distinguendas esse judicavimus; idcirco primum quæ flores parvos producunt, descripsimus: nunc ad hanc (quam tantum habemus) flores magnos gignentem venimus. Nascitur fere semper in convallibus montium perflatum non habentibus, ex quibus locis

M 2 eius-

eruimus, & exinde biennio colendo experti sumus, naturali colore, non vitio flores variari. Quo explorato non dubitavimus & diversam habendam esse a *Brunella cærulea, magno flore* C. B. *Pin* 261, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 182, sive *Brunella* 1. CLUS. *Hist.* 43, & his nostris inserendam.

Quoniam ne verbum quidem de natali loco fecimus, si primam & ultimam prætereamus, satis erit hic de singulis innuere, eas omnes in collibus, montosisque regionibus inveniri, nec ex diuturno cultu ullam pati varietatis vicissitudinem.

## II. PARTICULA

*De Flore Monopetalo* Labiato, *cujus labium superius* falcatum *est*.

SCLAREÆ SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

I *Sclarea pratensis, foliis serratis, floris labio inferiore variegato.*

II. *Sclarea montana, foliis serratis, flore cæruleo in album languente.*

SEcundum Labiati Floris discrimen est, quando labium superius producitur, curvaturque in formam falcis messoriæ, ut in Sclarea videtur, & etiam in his nostris Sclareæ speciebus, nulla namque alia differentia separantur a *Sclarea pratensi, foliis serratis, flore cæruleo* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 179, sive *Hormino pratensi, foliis serratis* C. B. *Pin.* 238, quam florum varietate. Porro cum primum has vidissem, ne deciperer, explorandam ante existimavi utriusque naturam, quam aliquid certi statuerem. Itaque cultui submisi, diuque subegi hæ tamen, rursus sobolescendo, & prima naturalem floris varietatem, & altera pristinum pal-

lo-

lorem retinuere. Inveniuntur autem diversis in locis, nam illa in campestribus pratis non infrequens nascitur, hæc autem in collibus tantum, apricisque tractibus.

*III. Sclarea pratensis, foliis serratis, floribus saturo colore purpureis.*

Hanc Sclareæ speciem invenimus sæpe in subalpinis pratis, ex quibus in Hortum Maurocenum transferendam curavimus. Ibi vero diu culta una cum *Sclarea pratensi, foliis serratis, flore suave-rubente* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 179, sive *Hormino pratensi, foliis serratis, flore suave-rubente H. R. Par.* (a qua ob saturum floris colorem separatur) pristinam florum naturam retinuit.

## III. PARTICULA

*De Flore Monopetalo* Labiato, *cujus labium superius in* cochlearis sinum *colligitur.*

BALLOTES SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Ballote foliis ex luteo variegatis.*

Sequitur tertio loco tertia Labiati Floris differentia, cum nimirum labium superius neque ita profunde excavatur, ut galeam referat, neque e contrario ita comprimitur longaturque, ut falx videatur, sed in sinus tantum contrahitur, repræsentans quodammodo similitudinem coclearis, a quo nomen invenit. Hac forma præditus est Flos Ballotes, Galleopseos, Marrubiastri, & aliorum, quibus generibus quatuor species addendas collegimus, & harum prima est hæc Ballote elegantissimæ pulchritudinis Planta, quæ neque cultu, neque terra aut sterili, aut felici suam foliorum varietatem unquam amisit. Folia igitur maculis ex lu-

/ Galeopseos

luteo variantur, quo tantum discrimine separatur a *Ballote* MATTH. 601, sive *Marrubio nigro, fœtido, Ballote Dioscoridis* C. B. *Pin.* 230, Cæterum non infrequens secus vias reperitur.

GALEOPSEOS SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Galeopsis alpina, caliculis aculeatis, flore parvo, albo, vario.*

Extat apud Cl. Tournef. *Inst. R. Herb.* 185 quædam Galeopseos species sub titulo *Galeopsis angustifolia, flore variegato*, quæ est *Cannabis spuria, angustifolia, flore variegato, Polonica* BARR. 1158. Quam, ne forsan Lector cum nostra convenire suspicetur, ajo, hanc minorem dici: nostram eandem esse *Galeopsim proceriorem, caliculis aculeatis* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 185, sive *Urticam aculeatam, foliis serratis* C. B. *Pin.* 231: non aliud intercedere discrimen, quo separentur, nisi florum, hi enim in nostra & parvi sunt, & varietate dissimiles (labium enim inferius melochina macula tingitur). Præterea an illa Barrelierana caliculos aculeatos ferat, neque dicitur, neque ex icone detegi potest, nostra profecto hispidos gignit. Adde etiam (si quid ex situ arguere licet) nostram Italicam esse, illam Sarmaticam. Proinde a nobis præstabitur opera, ut Tabellis nostris ramusculus naturalem florum magnitudinem referens, inseratur.

Hanc tantum (quod sciam) Sinæ Alpes nutriunt, pinguissimo solo lætantem, quapropter, ut plurimum, ea loca incolit, quo præteritis annis aut stabulabantur armenta, aut ad mulctram conveniebant.

*II. Galeopsis procerior, fœtida, spicata, folio longiore.*

Hæc Galeopsis *folio longiore* sæpius ad radices montium reperitur circa loca uliginosa simul & umbrosa. Primo vere germinare festinat, floresque citissime ab-

fol-

folvit, nam fimul ac Sol eas fedes frequentare incipit, inarefcit caulis, radice tantum fuperftite, quæ terra obtegitur. Verum fola foliorum magnitudine diftinguitur a vulgari *Galeopfi procerjore, fœtida, fpicata* TOURNEF. *Inft. R. Herb.* 185, five *Lamio maximo, fylvatico, fœtido* C. B. *Pin.* 231, prælonga enim folia funt, & ad illius fefquialtera. Quare operæ pretium nos facturi fumus, fi hujus quoque imaginem in noftrarum Plantarum icones retulerimus.

MARRUBIASTRI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Marrubiaftrum Cardiacæ folio, flore albo.*

M*Arrubiaftrum Cardiacæ folio* BOCC. *Muf. Par.* 2. *Tab.* 98 (quod paffim nafcitur fecus vias, & agrorum lacunas, & quod pro *Leonuro annuo, Americano, Nepetæ folio, flore phœniceo, minore* BREYN. *Prod.* 2 non femel vidi fuppofitum) purpurafcentem edit florem Labiatum, cujus labium fuperius in cochlearis formam excavatur, inferius vero tripartitum eft, media parte fubrotunda. Etenim nunquam vidi in hoc Marrubiaftro *labium inferius in tres crenas* divifum, ut de hoc genere ftatutum eft a Cl. Tournefortio. Nihilominus, cum in Tabula 89 exacta, & veluti viva fit hujus floris imago, fufpicor aliunde irrepfiffe ea verba, non enim verifimile videtur, immortali Viro ignotum fuiffe hujus Marrubiaftri florem, quem ea diligentia, & elegantia delineandum curaverat. Noftrum igitur, quod hic defcripfimus, ab ifto Bocconi feparatur fola floris albedine, nam in reliquis partibus, & etiam in natalibus locis eft idem.

IV.

## IV. PARTICULA

### *De Flore Monopetalo* Labiato, *cujus labium superius erectum est*.

MELISSÆ SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Melissa Pyrenaica, caule brevi, Plantaginis folio, Flore albo.*

NOn raro hæc Planta in Alpibus occurrit albos flores producens, sæpe eam vidimus in Summano circa radices Idoli jugi. Ibidem copiosissima nascitur & vulgaris violaceos flores gignens *Melissa Pyrenaica, caule brevi, Plantaginis folio* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 193, sive *Gallitricum folio rotundiore, flore magno, violaceo* J. B. 3 313.

CALAMINTHÆ SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*1. Calamintha Pulegii odore sive Nepeta, Flore albo.*

CUm Flos Labiatus erecto superiore Labio (quæ ultima est differentia) plurimis generibus abundet, ego ea tantum commemorabo, quibus subjiciam species, Calaminthain nimirum, Clinopodium, Catariam, & Betonicam. Calaminthæ (ut ordine incipiam) duas species addendas inveni, hanc nempe & sequentem. Hæc autem invenitur in montibus Veronensibus via, quæ ad Sinarum montes dirigit iter, inter macerias enata, cui flos candidissimus inest, quo tantum discrimine secernitur a *Calamintha Pulegii odore* sive *Nepeta* C. B. *Pin.* 228, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 194, sive *Calamintha Italica, Pulegii odore* GESNE. *Hort.*

I II.

*II. Calamintha magno flore, foliis ex adverso ternis & ternis.*

Hanc e contra in montibus sylvosis semper collegimus, & primum in Euganeis collibus abstrusam inter sylvas densis obsitas Fagis: nascitur fere promiscue una cum *Calamintha, magno flore* C B *Pin.* 229, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 194, sive *Calamintha montana, flore magno ex calyce longo* J. B. 3. *Tar.* 2. 229, a qua tantum diversa est ordine foliorum.

CLINOPODII SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Clinopodium Origano simile, elatius, folio majore, ex albo variegato.*

HOc quoque ex Euganeis collibus habemus, feracissimis Plantarum in paucis, eruimus autem dorso illo Arboribus nudo, & contra Meridiem sito. Exinde colendo ejus naturam tentavimus, quod longo temporis spatio subactum, novellis & similiter variatis foliis virescens, nostram firmavit sententiam. Patet igitur ob foliorum tantum varietatem aliud hic poni a *Clinopodio Origano simili, elatiore, majore folio* C. B. *Pin.* 225, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 195, sive *Acino* LOB. *Icon.* 504.

CATARIÆ SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Cataria alpina, praealta, spicata, spicis amethystinis.*

IN Bassanensibus montibus in quodam aprico tractu hoc anno invenimus. Radicibus nascitur plurimis, oblongis, & subpullis, duorum cubitorum altitudine surgit caulis, tetragonus, foliis ornatus oblongis, acuminatis, & per peripheriam dentatis. A medio caule ramuli nasci incipiunt, qui in alios dividun-

tur; hi autem ſpicantur floribus albidis. Porro tam florum calyces, quam ſpicæ ſeu ſpicarum axes amethyſtino variantur colore. Hanc itaque ſine ulla hæſitatione in Tabellas noſtras referemus.

### BETONICÆ SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Betonica arvenſis, annua, flore ex albo flaveſcente, & foliis ternis & ternis.*

NOn raro in apricis collibus, & jejunis arvis invenitur, ſequiturque eaſdem ſedes, quas incolit vulgaris *Betonica arvenſis, annua, flore ex albo flaveſcente* TOURNEF. *Inſt. R. Herb.* 203, ſive *Sideritis arvenſis, latifolia, glabra* C. B. *Pin.* 233, cui diſſimilis adjectione foliorum.



COM-

# COMPENDII

## *PARS ALTERA*

## DE PLANTIS,

*Quæ certo ordine producuntur, atque generantur.*

## DIVISIO PRIMA

*De Plantis, quæ certo ordine producuntur, atque generantur, gemmas extra terram non ferentibus.*

## DIGESTIO ALTERA

*De Plantis, gemmas non ferentibus extra terram,* Perfectis.

## SECTIO TERTIA

*De Plantis Perfectis Flore* Perfecto, *&* Polypetalo.

## I. CLASSIS *TOURNEF. XI.*

*De Flore Polypetalo* Anomalo.

ACONITI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Aconitum Napelli flore, albo, languente in cæruleum.*



Xpositis Plantulis nostris Perfecto & Monopetalo Flore instructis, superest nunc ut eas quoque recenseamus, quæ & perfectæ sunt, & Polypetalum Florem producunt. Has quoque distribuemus, ordinem Floris sequentes, & primo loco agemus de Anomalo sive Irregulari Flore, de reliquis singillatim postea. Irregu-

laris igitur. Floris hoc tantum Aconitum habeo lectum in Alpibus Sinatum, in quibus frequentissimum nascitur, non autem passim, sed certum incolit locum, quem nunc describam paucis. Vallis quædam profundissima hæc est contra Occidentalem regionem sita, quam *Valle del Covolo* alpicolæ dicunt, imminet enim huic immanis & excavata rupes, quo pastores & greges conveniunt, orientibus tenebris, aut si quando nimbosum cœlum proximam denunciet tempestatem. Ibidem vastissimo antro excipiuntur, quod illis certam & tutam domum præstat. At in subjectam vallem hinc atque illinc duæ semitæ ducunt, quibus insident pastores rutando ovile contra insidiosas feras. Hæ per latera vallis circumducuntur usque in inferiorem partem. Tunc apparet hoc Aconitum densissima sylva passim natum, quod ob florum colorem procul allicit oculos. Nascitur quidem una *Aconitum cæruleum, Napelli flore* C. B. *Pin.* 183, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 424, quod est *Aconitum VII, Lycoctonum, autumnale* CLUS. *Hist.* 93. Cui dissimile nostrum ob pallidos flores. Cui, inquam, dissimile, ne quis suspicetur hoc nostrum convenire cum *Aconito seu Napello I., flore cæruleo & albo variegato* C. B. *Pin.* 183, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 425, sive *Napello flore variegato* EYST.; neque enim hoc, neque reliqua Aconita, demptis illis duobus, in amplissima illa Alpe inveniuntur.

Com-

# Compendii Pars Altera

## *De Plantis Perfectis Flore Perfecto, & Polypetalo:*

## II. CLASSIS TOURNEF. X.

### *De Flore Polypetalo* Papilionaceo.

OROBI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

I. *Orobus alpinus, Galegæ folio, flore luteo.*

II. *Idem, foliis longioribus, angustioribusque.*

SEquitur secundo loco Floris Papilionacei Classis, quem Florem qua de causa cæteris Polypetalis præmittamus, dictum est a principio: videtur nempe & multum ad Anomalum accedere, & quodammodo etiam ad nonnullos ex Monopetalis ob petalorum posituram. Ita namque vexillum, & alæ in inferiore parte cum carina conveniunt (sic Papilionacei Floris petala dicuntur) ut Monopetalos quosdam imitentur. At contra in Cruciformibus, & multo magis in Rosaceis petala alterum ab altero removentur. Sed utcunque est, de hac re non laboramus: nobis hic ordo non incongruus videtur, alii meliorem sibi excogitent, quem & nos, si ita erit, sequemur. Interea tamen species quasdam Flore Papilionaceo instructas, quas huic Classi addendas censemus, subjiciamus, incipientes ab his Orobis, de quorum primo est cur dubitetur, teneaturne in *Orobo sylvatico, pallido flore* C. B. *Pin.* 351, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 393. *Gallega montana Dalechampii* J. B. 2. 343, an alia sit species. Nobis hæc potior sententia visa est. Primum quod radice brevis est noster, non *longissimis fibris donata*, non *tuberosa*, deinde quod foliorum conjugationes non

quinas

*quinas senasve annexas* singulis petiolis producit, sed semper octenas, foliis binis & binis ex adverso costæ adhærentibus, Galliegæ simillimis, quæ costa in mucronem abit, ad exortum duobus parvis foliis cincta, quod denique ex calyce monophyllo, & in quinque breves, ac acuminatos dentes secto, edit Florem Papilionaceum saturo colore luteum. Hujus pistillum candida membrana ( cujus extremitas in plura & tenuissima filamenta dividitur ) obductum fit siliqua oblonga, teres, colore pulla, unicapsularis, seminibus fœta ovatis, sed paululum compressis. Flores autem in summo petiolo ex foliorum alis nato disponuntur in spicarum formam. At *Orobus sylvaticus*, *pallido flore* pleraque diversa habet, *radicem* nempe *multiplicem*, *tuberosam*, *& longissimis fibris donatam*, *caulem cubitalem*, *ex quo* ( verba sunt Cl. RAII *Hist.* 913 ) *per intervalla orti pediculi longitudinis mediocris quinas senasve annexas denso agmine sustinent foliorum conjugationes* ---- *flores qui in peculiari appendice spicam æmulantur*, *colore præditi luteo-pallentes*. Ex quibus manifestum redditur, nostrum hunc primum ab illo diversum esse.

Quod ad alterum spectat, nihil differt a primo, nisi foliorum discrimine, quoniam longiora, & angustiora producit. Quare separatim utriusque icones in Tabulis exhibebimus.

VICIÆ SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Vicia montana*, *spicata*, *perennis*, *angustifolia*, *siliquis latis*, *& semine nigro*, *vario*.

HÆc in clivosis apricisque locis verno tempore invenitur, quibus nec ligo nec vomer unquam admotus sit, integro enim gaudet solo, cultus impatiens. Oblongas sed exiles agit radices, salitque facile ad duorum cubitorum altitudinem, si adsint, quibus innitatur, virgulta; deinde in ramusculos spargitur, quibus

bus flores insident. Caulis autem & ramusculi foliis stipantur angustis, brevibus, utrinque acuminatis. Languentibus autem floribus subit pistillum, quod in siliquas glifcere vidi latas, breves, semine per maturitatem fœtas nigro, & variegato.

Hæc itaque pro suo jure poscere videtur, ut, cum a vulgatis tota sui Herba differat, non ultimam in Tabellis nostris habeat sedem.

*II. Vicia sylvatica, maxima, altera, siliquis brevibus.*

Omnibus Viciis, quotquot hactenus ab Auctoribus commemoratas legimus, hæc dissimilis est, quæ in sylvis, in saltibus, prope torrentes humidas, & opacas postulat sedes, &, adeo surgit, ut ipsas prætereat Arbores, quas subigit saliendo. Porro radice est plurima, sesquicubitali, non nodis intercepta, crassiuscula, alba, paucisque fibris instructa, caulem multorum cubitorum, multisque foliorum conjugationibus exornatum producit. Porro folia Viciæ sepium foliis simillima, costæ alternatim adhærent, numero inæqualia: plura, cum duodecim vel tredecim insident, cum vero quinque tantum, pauciora. Flores summo petiolo (qui ex foliorum alis surgit quatuor fere digitos oblongus) innascuntur, hi autem quini, ut plurimum, vel seni, & aliquando etiam pauciores per aliquod intervallum disponuntur, qui languide purpurascunt, nam vexillum rubicundulum est, alæ quodam pallore inficiuntur, cum carina albicet omnino. Floribus succedunt siliquæ, binæ ternæve tantum plerunque singulis petiolis, pollicem longæ, & pollicis trientem latæ, compressæ, glabræ, seminibus fœtæ parvis, rotundioribus, pullis, quaternis quinis singillatim nascentibus.

Porro, quo discrimine separetur a *Vicia sylvatica, maxima, Piso sylvestri Simili* J.B. RAII *Hist.* 900, ut clarius innotescat, juvat ex Cl. Raii descriptione paucula huc

as

afferre. *Flores*, ait, *furculi cujusdam longissimi extremum occupant, numerosi, purpurascentes, subsequentibus siliquis pars cum Pisorum magnitudine, compressioribus, latis, glabris, radix crassa, nodis intercepta, reptatrix* &c. At in nostra neque hi furculi longissimi sunt, sed quatuor digitos longi, neque flores numerosi, neque purpurascentes, siliquæ quoque non Pisorum siliquis æquales, sed longe minores, ita radix neque crassa, neque nodis intercepta, neque reptatrix. Ut, ex delineatione in nostris Tabulis clarius ostendetur.

*III. Vicia perennis, alpina, saxatilis, flore cæruleo.*

In rudetis altissimorum montium *Vette* eruimus: radicibus oblongis, exilibus, fibrosisque alte per rudera sparsis innititur, caulemque dodrantalem gignit, ex quo alæ alterne oriuntur, & ex his folia bina & bina ex adverso, oblonga autem, acuminata, & per circumferentiam villosa. Raros vidimus flores, cauli circa finem brevissimo petiolo insidentes, colore cæruleos, ex quibus siliquæ nullæ: antequam enim in fructum efformaretur pistillum, elapso brevissimæ in Alpibus æstatis tempore, remissæ pruinæ exurebant flores. Nos itaque nonnullas transferendas curavimus in Hortum amplissimi Cardinalis Cornelii, quem in Villa sua *Fossato* quam plurimis & rarissimis Plantis, pro summa qua Botanicen complectitur benevolentia, exornandum jubet. Ibi enim clementiore Cœlo etiam siliquæ maturitatem habebunt. Interea tamen supersedendum erit, ne trunca exhibeatur in Tabulis imago.

*IV. Vicia sativa vulgaris, semine cinereo, valvis nigricantibus.*

*V. Vicia sativa vulgaris, semine cinereo, maculato.*

*VI. Vicia sativa vulgaris, semine subluteo, exiguis, pullis maculis asperso.*

*VII. Eadem, semine subluteo, maculis ferrugineis suffuso.*

Conjungimus hic hasce quatuor Viciæ species, tum quia cognatione quadam proximæ sibi sunt, tum etiam quia ex illis tantum differentiis petitæ sunt, quæ nullo modo repræsentari in ære patiuntur. Adde quod omnes ferantur in arvis pabuli gratia, & in armentorum farraginem, qua singulæ, qua etiam omnes simul, jacto una Hordeo, aut ingesta Secale, quibus nitantur. Porro hæc fere sunt discrimina, quibus & inter se distinguuntur, & singillatim removentur a vulgata illa Vicia *sativa vulgari, semine cinereo* C. B. *Pin.* 344 & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 396. Prima igitur producit siliquas nigricantibus valvis: secunda maculatum semen gignit, notis nimirum pullis, & aliquando etiam anthracinis aspersum. tertia luteolum, quod inficitur maculis modo impluviatis, modo pullis. ultima variatum habet ex luteolo & ferrugineo colore.

*VIII. Vicia in satis proveniens, siliquis binis & binis, albis, semine compresso, maculato.*

*IX. Eadem, valvis nigris, & semine ferrugineo.*

Inter cæteras Viciæ species hæ quoque nusquam non occurrunt in arvis: parvis constant radicibus, ex quibus caulis, apprehensis frugibus innixus, sesquicubitum elongatur. Folia autem egrediuntur oblonga, & emarginata, ex quorum alis siliquæ nascuntur binæ & binæ: albidæ in illa, & semina ferentes compressa,

nigrisque maculis infecta: in hac nigræ cum seminibus ferrugineis. Ex his igitur manifestum est, utramque posse unica Tabella repræsentari, in qua cum foliorum, tum siliquarum forma & positio signetur, perdifficile enim sine imagine inter tot Viciæ species internoscuntur.

*X. Vicia in arvis proveniens, siliquis binis & binis, albis, & compressis, semine instar Lentis.*

Hæc quodammodo externa siliquarum facie ad præcedentes accedit; quamvis siliquas ferat brevioribus intervallis nascentes, & majores. At semine quam diversa, quam dissimilis non solum illis, sed omnibus! Huic enim tanta est cum Lentis semine unitas, ut trituratum non internoscat peritissimus. Tempore messis aridam inter frumenta collegimus, floribus & foliis decussis. Caulem tantum novimus ad sesquicubitum surgere ex paucis, brevibusque radicibus ortum. Quare terræ mandavimus semen, ut hinc pro Tabulis foliorum etiam, florumque forma suppeditetur.

Porro Vicia illa *sylvestris, cum Lentis siliqua* J.B. RAII *Hist.* 905 dissimilis huic nostræ habenda est, primum quod illa caulem gignit *dodrantalem*, *ramosum*: nostra sesquicubitalem, & sine ramis, deinde quod in illa ex *alæ sinu enatus pediculus uncialis florem* (gerit) *unicum*: in nostra siliquæ sine petiolo alis hærent, &, cum geminæ sint, necesse est, ut etiam flos saltem geminus sit, non unicus, postremo illi est *siliqua*, *uncia longior*, *semuncia lata*, *glabra*, *duo aut tria claudens semina*, *orbiculata*, *Lentis majoris*: nostræ siliquæ quadrantales sunt longitudine, vix unciæ trientem latæ, non duo autem vel tria semina producentes, sed octo, ut plurimum, aliquando etiam novem & decem, quæ, cum subatra sint colore, & minora, differunt a *Lentis majoris* semine.

ASTRA-

ASTRAGALOIDIS SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Astragaloides alpina, saxatilis, subhirsuta, minor, flore luteo, longiflore.*

ORitur hæc in *Verre* monte omnium Herbarum fœcundissimo, radice oblonga, lignea, inter saxa demissa. Folia Viciæ similia sunt, exili mollia lanugine, hinc inde costæ adhærentia, impari folio claudente alam. Caulis quoque subhirsutus ad deuncem fere ascendit, ramulosque emittit flores edentes, qui Papilionacei sunt ex luteo pallentes. Floribus arescentibus, egreditur pistillum, crescitque in siliquam cymbæ æmulam, unicapsularem, & semine fœtam compresso, renem secundum longitudinem per pelvim sectum referente. Ideo collocavimus sub Astragaloidis genere.

Porro quam longissime abest ab *Astragaloide Lusitanica* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 398, sive *Astragalo Bœtico* CLUSI. *Hist.* 234. Ubi enim radix longissima? Ubi ea magnitudo, ubi certa lanugo, ubi denique cætera, quæ in illa describuntur? Quare non hærebimus in assignanda huic sede inter nostros iconismos.

APHACÆ SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Aphaca, semine nigro.*

*II. Eadem, semine rubello.*

*III. Eadem, semine maculato.*

*IV. Eadem, semine pallente.*

*V. Eadem, semine obsoleti coloris.*

CUm unam tantum Aphacæ speciem apud Auctores Rei Herbariæ viderem, cujus quinque inve-

niri colendo expertus fueram : ita illam *Aphacam* LOB. *Icon.* 70, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 399, sive *Viciam luteam, foliis Convolvuli minoris* C. B. *Pin.* 345 in numerum digessi. Nam, etsi aliquando apud quosdam Botanicos nonnullæ seminum Aphacæ varietates obiter commemoratæ reperiantur, nemo tamen ante nos (quod sciamus,) usu & experientia comprobavit, eas fuisse a natura his seminibus additas tanquam certa discrimina, quibus ab hominibus hæ Aphacæ internoscerentur. Occurrunt autem tempore messis omnibus in arvis frequentissimæ, frustra runcantibus frumenta colonis. Ego vero contentus sive Lobelli, sive Matthioli, aut aliorum iconismis (quicunque singulis his poterit inservire) has cunctas in Tabulis omittam.



Com-

# Compendii Pars Altera

## *De Plantis Perfectis Flore Perfecto, & Polypetalo.*

## III. CLASSIS TOURNEF. V.

### *De Flore Polypetalo* Cruciformi.

THLASPEOS SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Thlaspi alpinum, minimum, Globulariæ folio, flore albo.*

DEscriptis paucis Flore Papilionaceo instructis Plantis, redeamus nunc Cl. Tournefortii vestigiis insistentes ad Florem Cruciformem, ita dictum, quoniam petala circa pistillum decussatim ordinantur. Hujusmodi Floris hanc tantum Thlaspeos speciem habeo, de qua simul ac pauca dixero, statim ad Florem Rosaceum veniam.

Incolit hoc rupes summorum montium, *Vette* nempe, Morsuplani, Baldi, & aliorum, abditurque inter rimas saxorum non facile visu ob suam exilitatem. Ibidem itaque, paucis actis radiculis, duas uncias surgit, folia producens Globulariæ similia, rotundiora tamen, explicat deinde flores brevibus innixos petiolis, tetrapetalos, & candidos, quorum stylus mox augetur, fitque fructus oblongus, non ora foliacea instructus, in duo autem loculamenta divisus. Porro septum illud, quod bifariam secat fructum, ipsis valvis ad perpendiculum oblique jacet, cui inter capsulas adhærent semina plura, ac exigua.

Circumfertur Herba quædam, quæ, cum Globulariæ foliis instruatur, speciem quandam similitudinis Lectoribus offerre posset, nisi de ipsa hoc loco aliqua mentio haberetur. Hæc a *Casp. Bauhino in Pin.* 106 nuncupatur *Thlaspi montanum, Bellidis cæruleæ folio*, quod

lu-

luce clarius a nostro distinguitur : primum quod hoc nostrum minus est, deinde quod foliis rotundioribus, paucioribusque ornatur, postremo quod nostrum genere Thlaspi est : illud Bursa pastoris, collocaturque sub eo titulo *Bursa pastoris montana*, *Globulariæ folio* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 216. Quare, cum dabitur hujus Plantæ imaguncula, necessarium erit, ut summa cum diligentia & fructus & ejus partes exprimantur, sic enim ambiguitas omnis, si cui e Lectoribus nostris adhuc hæserit, discutietur.

Porro sciendum, nos hic consulto nonnullas Cl. Cupani Thlaspeos species præterire, quæ, etsi Globulariæ foliis instructæ sint, cunctæ tamen a nostro differre ipsa descriptione cognoscuntur, atque adeo etiam illa, cui præ cæteris nostrum propius accedit, *Thlaspi alpinum, minus, Globulariæ foliis, minoribus, atro-viridibus, splendentibus Supl. Hor. Cath.* 252, Pallent enim in nostro folia, neque nitent.



Com-

# Compendii Pars Altera

## *De Plantis Perfectis Flore Perfecto, & Polypetalo.*

## IV. CLASSIS TOURNEF. VI.

### *De flore Polypetalo* Rosaceo.

ALSINES SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Alsine petræa, incana, graminis folio, breviore, & rigidiusculo, flore albo, magno.*

OMnium Classium hæc Floris Rosacei refertissima est Plantarum generibus, quibus nos etiam nonnullas addendas esse species judicamus, & in primis hanc Alsinem, quam tantum in *Vette* rupibus vidimus; cujus natura, & partium forma ita fere se habent.

Radice oblonga, candida, quæ saxis infigitur, nascitur, cujus altitudo trientalis. Est autem foliis plurimis, angustis, rigidis, acuminatis, uncialibus, atque incanis, caule vero brevibus instructo ramulis, quibus flores insident, magni, pentapetali, candidi. Hos calix quinquifidus amplectitur firmis, ac parvis foliis. Media floris pars fit fructus membranaceus, conicus, unicapsulatis, in apice dehiscens, intus semina parva placentulæ affiguntur. Cæterum non solum folia, ut dictum est, sed & caulis, florumque calyces incanescunt.

Cum autem nunquam inciderim apud auctores in icones, aut descriptiones, quæ hanc non solum aliquo modo referrent, verum etiam quæ ad ipsam tantillum accederent, ratus sum, hanc præ cæteris in Tabulis nostris esse ponendam.

JUN-

### JUNCI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Juncus alpinus* μονανθὴς, & μονόσπερμος.

HIc quoque magno cespite, & extractu difficili in Alpibus repetitur, præsertim in dorsis alpestribus, & undique præcisis Baldi, & Vallacciæ, radicesque agit multas, oblongas, & subnigras, ex quibus multi, & prædense positi surgunt caules, teretes, dextantem longi, aliquibus foliis junceis ornati. His circa extremitatem unicus pendet flosculus, pentapetalus, cujus pistillum fit deinde capsula trigona, trifariam dehiscens, & semine fœta unico pariter, ac rotundo.

Hic quoque ex eadem causa, ac præcedens, cum desideretur in Botanicorum monumentis, per nos ut nunc in hominum notitiam prodit, ita in Tabulis nomen delineationemque possidebit.

### GEI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Geum montanum, Cymbalariæ folio, villoso, & molli, flore albo, magno.*

GAudet hæc parvula & tenella Herba humidis locis, imisque vallibus, sole jugiter carentibus. Parvis, atque exilibus radiculis innititur, quibus per Lichenes Muscosque serpit, ex his in orbem disposita, & humi strata nascuntur folia Cymbalariæ folio simillima, idest *Linariæ hederaceo folio, villoso, seu Cymbalariæ alpinæ* TOURNEF. 169, quæ est *Cymbalaria alpina, villosa* TRIUMF. *Syllab.*, mollia tamen, & viscidula. Ex horum medio exit caulis quadrantalis, in ramusculos divisus, qui flores sustentant magnos, respectu totius Herbæ, & quinque petalis, magnis, & candidis constantes. Interea pistillum subit, quod crescendo hydriam birostratam æmulatur, dividiturque in duo loculamenta, exiguis fœta seminibus.

Forsi-

Forſitan illud quod TOURNEF. *Cor.* 18 deſcripſit *Geum Orientale, Cymbalariæ folio, molli, & glabro, flore albo, magno*, ſimilitudinem quandam cum noſtro nactum eſt, etſi in eo differat, quod glabreat, noſtro villis cooperto. Utcunque tamen eſt, ſive villis tantum, ſive alia nobis obſcura differentia illi repugnet, in medium afferemus iconem, de qua optimo cuique judicium ferendi integra erit poteſtas.

### SAXIFRAGÆ SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Saxifraga alpina, hirſuta, Ranunculi bulboſi Lobellii folio, flore albo, magno.*

MAgnam inter hanc & ſuperius Geum intercedere ſimilitudinem, neminem inficiaturum ſpero, qui ex collatione (cum utriuſque dabuntur) imaginum exquirere haud gravabitur, quid ſingulis proprium, quid commune. Communia inveniet radices eaſdem, cauliculos æque oblongos, æque in ramuſculos diffuſos, villoſos quoque, molliculos, & ſubinde viſcidulos. folia quoque ſimiliter hirſuta, & mollia, at flores non ſolum ſimiles, ſed ita æquales, ut internoſci nequeant, magnos, albos, pentapetalos. Quibus a nobis additur: circa eadem loca ſimiliter naſci, atque muſcoſa ſaxa, quamvis hæc frigidiores ſedes, magiſque Septentrionales deſideret. At huic propria eſſe cognoſcent (nam de illo jam dictum eſt), primum foliorum formam perbelle referentem *Ranunculum pratenſem, radice, verticilli modo, rotunda* C. B. *Pin.* 179, & TOURNEF. *Inſt. R. Herb.* 289, ſive *Ranunculum Bulboſum* LOBEL. *Icon.* 667, deinde fructum, qui bicornis ex concretione piſtilli & calycis efformatur, dividiturque in duo loculamenta, ſeminibus exiguis placentulæ adhærentibus.

Ex Sinarum montibus Hallani proficiſcentibus obtulit

tulit se primum nobis. postea sub jugo *Pietatis* invenimus, in aliis vero montibus nusquam.

### SALICARIÆ SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Salicaria vulgaris, flore intense violaceo.*

HAnc tantum hic recensemus ob flores, quos largo succo, & saturo edit violaceos, cum vulgaris *Salicaria purpurea, foliis oblongis* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 253, sive *Lysimachia spicata, purpurea forte Plinii* C. B. *Pin.* 246 purpurascentes ferat. Nascitur in agro Patavino prope montes Euganeos, etsi sæpe alibi circa agrorum lacunas, & secus vias reperiatur.

### HYPERICI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

1. *Hypericum alpinum, minus, non perforatum, & caule tereti.*

SI *Hypericum minus, erectum* C. B. *Pin.* 279, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 255 a Trago *pulchrum* nominatum, folia obtusa, neque perforata gigneret, nihil similius nostro huic inveniretur, sed res non ita se habet. Nostram itaque summos montes incolit, & maxime alpina prata, quæ armenta pascuntur, ibidem enim copiosum legitur parvis radicibus instructum, albisque, caule fere pedali surgit, & tereti, ex quo folia gignit bina & bina, grandiora, quam in *vulgari Hyperico sive Perforata, caule rotundo, foliis glabris* J. B. 3. 381, virentia, glabra, circa extremitatem obtusa, non translucidos poros habentia, non nigris punctis inscripta, non amplexicaulia, etsi petiolo careant, quippe in exortu angusta. Circa caulis extremitatem ramusculi ex foliorum alis prodeunt, multi, & veluti cohærentes, qui in alios dividuntur. Hi flores quasi in umbellæ formam dispositos producunt, majores, quam
in

in Perforata, ex quinque petalis constantes, colore aureos. His arescentibus, pistillum surgit in fructum grandiusculum, oblongum, rubrum, tricapsularem, semina in singulis loculamentis exigua foventem.

Cum a principio dictum sit, hoc nostrum similitudinem præ se ferre cum illo *pulchro* Tragi, quod & diversum ostendimus, nostrarum partium erit, in delineando hoc curare, ne partes, quibus discriminatur, parum clare & aperte signentur.

*II. Hypericum alpinum, erectum, foliis rotundis, subhirsutis.*

Cum illud in apertis & apricis locis reperiri diximus, hoc contra tantum in saltibus, nemoribus, & opacis sylvis nascitur. Hujus radix tenuis est, obliqua, & alba, simplicem caulem producens teretem, rectum, levem, & sesquipedalem, in quo folia gignit ex adverso bina & bina, rotunda (etsi superiora elliptica evadant potius) ex viridi in glaucum languentia, & subhirsuta. In summo caule edit flores, & fructus (non enim ramosum est) forma, magnitudine, & colore simillimos illis, quos fert *Hypericum vulgare* C. B. *Pin.* 279.

Hoc quoque in Tabulis, pone sequens superioris imaginem, suam habebit sedem, ex cujus icone quisquis facilius, quam verbis, totius Plantæ formam percipere poterit; esse enim possent, qui ex hac nostra definitione suspicarentur, nostrum hoc Hypericum non differre ab illo C. B. *Pin.* 279 *Hyperico Nummulariæ folio*. Quibus etiam nunc occurrendum est, quamvis non dubitemus, quin facile ab unoquoque nostrum hoc internoscendum sit eo tempore, juvabit tamen hic Lectores nostros de isto præmonere, quo paratiores ad distinguendam nostri ex icone formam veniant. Quod parvo negotio præstabimus, afferendo tantum in medium, tum istius Bauhiniani descriptionem a Bocco-

no propositam, tum quid Bauhinus ipse gravissimus Auctor de suo scriptum reliquerit. Extat itaque illa descriptio in BOCC *Mu. Part.* 2. 134 *Tab.* 91 ad huoc modum: *Androsemum supinum, saxatile, Nummulariæ folio aversa parte rubente*, quod Cl. TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 255 sub *Hyperico Nummulariæ folio Bauhini* collocavit, atque idem esse asseruit. At Bauhinus in *Prod.* 130 ita suum describit: *Hypericum Nummularia —— ex qua cauliculi tenues, rufescentes, palmares efferuntur, quos folia parva, rotunda, nummo similia bina adverso sita, & æquali distantia locata cingunt, quæ superne atrovirentia, inferius alba, aliquando punctis vel maculis rubris notata conspiciuntur*. Collatis ergo illis paucis, quæ de nostro diximus, cum his cum Bocconi tum ipsius Bauhini de Hyperico *Nummulariæ folio*, neminem inficiaturum, discrimina multa inter utrumque intercedere, speramus.

ANACAMPSEROTIS SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Anacampseros purpurea, foliis ex adverso ternis.*

*II. Eadem, quaternis.*

VIdimus utramque in hortis Veronæ satam, quæ manifeste discriminabantur ob foliorum ordines: io illa ternos, in hac quaternos, quibus differentiis & a vulgari *Anacampserote purpurea* J. B. 3. 682, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 264 separandæ sunt, cum hæc bina & bina tantum nascentia producat folia.

GERANII SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Geranium hæmatodes, magno flore, cæruleo.*

SÆpe accidit nobis, dum ad summos montes proficiscimur, ut hoc *Geranium, magno flore, cæruleo* legamus, in collibus semper natum, sive inter vepreta,

ta, five ad maceriarum rudera, facilius namque fatur ille cæruleus floris color, quam purpureus communis & cognati *Geranii sanguinei, maximo flore* C. B. *Pin.* 318, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 267 insuetos prætereuntium oculos allicit, etsi festinemus.

### HELLEBORI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Helleborus niger, hortensis, flore viridi, foliis in profundas serras divisis.*

SErræ foliorum, quæ in vulgari *Helleboro nigro, hortensi, flore viridi* C. B. *Pin.* 185, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 272, sive *Helleboro nigro, vulgari, flore viridi vel herbaceo, radice diuturna* J. B. 3. 636 parvæ observantur, in hoc nostro profundiores sunt, quippe eædem in magnos dentes subdivisæ. Quare distinctionis gratia in Tabulas nostras referendam esse hujus imaginem judicamus, ut in posterum, cum sæpe circa eadem loca reperiantur, internosci, & separari a Botanicis possint.

### RANUNCULI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Ranunculus alpinus, Apii folio, flore albo, magno.*

NEminem fore existimamus, qui hunc Ranunculum a Tabulis nostris rejiciendum judicet, difficillimum repertu super omnes, quas Baldus nutrit, Plantas, etiam illis qui natalia callent loca. Adde etiam quod in tanto Ranunculorum numero latet, ut laboriosum sit sine formæ exemplo eum ab aliis internoscere. Ergo necessaria dabitur icon. Interea aliquid de ipso præmittemus.

Collegimus primum in *Valle de l'Ossa*, deinde in ea quæ ab eminente monte ab Alpicolis dicitur *Valle del Bastion*,

*Bastion*, satis celebris ex Pona. Vidimus autem decliviores incolere tractus, lætarique labe liquescentis nivis, & sæpius ex illa erumpere, foliis adhuc sub nive latentibus. Porro radicibus constat fibrosis, & crassiusculis, ex quibus fertur caulis ad quincuncem, foliis circum humi stratis, quæ Apium vulgare quodammodo imitantur. At flos de summo caule nascitur, magnus, albus, ex quinque petalis efformatus, cujus pistillo, decussis illis, adhærentia semina apparere incipiunt, parva, nulloque obducta involucro.

### AGRIMONIÆ SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Agrimonia vulgaris, foliis variegatis.*

HAnc vero a cultura huc afferimus, pluribus vicibus subactam, & multis ac similibus plantulis auctam, quam primum invenimus in *Polucela* Veronensi valle celebrata ob exquisitiora vina. Discrimen, quo separatur a vulgari *Agrimonia officinarum* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 301, sive *Eupatorio veterum aut Agrimonia* C. B. *Pin.* 321, folia sunt eleganti ordine ex albo variegata.

### CHAMÆNERII SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

*I. Chamænerium villosum, minus, parvo flore, albo.*

IN montibus humidis hoc sæpissime nascitur, vel mediis in vallibus, quo perennes fontes sese insinuant, vel circa lacunas, in quas ex proximis montibus aqua ad irriganda prata derivatur. Flosculum gignit album, quo tantum discriminatur a *Chamænerio villoso, pallido flore* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 303, sive *Lysimachia siliquosa, hirsuta, parvo flore* C. B. *Pin.* 245, cui flos purpurascens inest.

II. Cha-

*II. Chamænerium alpinum, foliis ad nodos quaternis.*

Ex novo foliorum ordine, quo hoc caulem ornatum producit, diversum est a *Chamænerio alpino, foliis ad nodos ternis* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 303, quod est *Lysimachia purpurea, alpina, trifoliata* BOCC. *Mus. Part.* 2. 22 *Tab.* 5, reliquis namque partibus nihil ab illo differt. Quo etiam simul sæpe utrumque nascitur in aquosis vallibus, qualis est illa, quæ media aperitur in Alpe *Vette* contra Orientem, *Favara* dicta, in qua ob uliginosam, & perpetuo humore madentem humum felicissimum vidimus.



COM-

# Compendii Pars Altera

*De Plantis Perfectis Flore Perfecto, & Polypetalo.*

## V. CLASSIS TOURNEF. VII.

*De Flore Polypetalo* Rosaceo Umbellato.

CARVI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Carvi collinum, autumnale, tenuifolium, radice unica, & umbella purpurascente.*

*II. Idem, umbella candida.*

SEquitur hæc classis cognatione Florum superiorem, qui tamen in hac colliguntur in umbellam, & horum calyces in duo semina efformantur, sibi adhærentia usque ad maturitatem. Sub hac quoque classe multa genera collocantur suis referta speciebus. De hujusmodi umbelliferis nos paucas collegimus Plantas, quas ordine suis generibus subjiciamus, incipientes ab his Carvi speciebus, quas novissimas omnium, quæ hic recensentur, observavimus, sive potius novissime, cui generi accomodandæ essent, constituimus, nam sæpe præteritis annis & vidimus & legimus, sed cum semine nusquam. Intempestivæ pruinæ ( siquidem sub casum autumni florere solent ) seminum embryones, antequam convalescerent, exurebant. Anno etiam 1716 cum in subalpino colle quædam aprica loca notassem, quæ a gelicidiis minus infestari cognoveram, novo & insperato incommodo victus discessi. Inventum enim est, Musculam quandam, perfosso ab aculeo floris calyce, ovula deposuisse, maloque succo deinde aspersisse loculum, ne laceratæ fibrillæ coalescerent. Quare nutrimentum, quod ad semina deferebat-

batur, circa ovulum manare incipiebat, ipsum fovere, & natum deinde vermiculum nutrire, semina autem informia reddita, & in usum nidi conversa fructum subrotundum externe mentiebantur. Itaque nos, dum hunc quam diligentissime aperimus, latentem in medio vermiculum tantum invenimus. Quæ mala quasi contactu quodam totam illam regionem invaserant, seu ex natura loci id contigisset, seu blandiente soli apricitate invitatæ aliunde Musculæ illæ ea frequentia convenissent, seu denique, quod verisimilius est, ob anni temperiem & statum cœli, quam plurimæ invaluissent, quoniam quotannis videmus aliquid ex naturalibus rebus felicius provenire. Cæterum in annum proxime elapsum delata res fuit, quo repetitis laboribus sincerum, & perfectum fructum nactus sum octavo Idus Decembris, nonnullis tamen ab eodem insecto corruptis. Quem, ut primum exploravimus, ex seminis forma (cujus ratio in constituendis Umbelliferarum generibus præcipua est) ad suum Carvi genus Herbam illam revocandam esse judicavimus, cum etiam illius flos cum carvi flore conveniret. De hac nunc dicamus pauca, pollicentes interea in Tabulis nostris aptam sedem.

Colles hoc Carvi postulat, solumque integrum, & apricum, ex unica acta radice instar rapunculi (qua inter cætera discriminatur a *Carvi foliis tenuissimis, Asphodeli radice* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 306.) tollitur ad sesquicubitum caulis, ad cujus initium folia quina vel sena surgunt, tenuissima, quorum costis bini & bini innascuntur ramuli, & ex his alii eodem ordine dispositis, qui in foliola angustissima, & brevia desinunt, terna, ut plurimum, raro quaterna vel quina, in summitate impari claudente folium. In ipso autem caule tria aut quatuor folia disponuntur. Porro caulis teres est, nonnullis sulculis per longitudinem ductis inæqualis, ac purpureus, qui in extremitatem diffun-

ditur in umbellam ; in prima ſpecie purpuraſcentibus, in altera candidis floribus ornatam. Flores quinque petalis conſtant, æqualibus, parvis, cordiformibus, circa medium inferne curvatis, & calyci inſidentibus. His ſuccreſcunt fructus ex duobus ſeminibus compoſiti, parvis, qua parte ſibi adhæreſcunt planis, reliqua gibbis, & ob ſulculos inæqualibus, quæ ſi guſtu exploraveris, aromaticam mordacitatem relinquunt.

SII SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Sium foliis eleganter laciniatis.*

SI qua hic a nobis deſcripta fuerit Planta, quæ ex aliqua cauſa ſui delineationem poſtularet, hæc in primis non ſolum poſtulare, ſed etiam (ut mea fert opinio) flagitare videtur, nam, elegantiſſimæ formæ cum ſit, aliquibus tamen partibus ita implicatur cum Tournefortiano illo *Sio foliorum conjugationibus laciniatis Inſt. R. Herb.* 306, ut perdifficile ſit ab ignorantibus folia diſcrimina, quibus ſeparantur, internoſci. Interim tamen certum dabimus ſignum. In illo dividuntur folia circa exortum hinc atque illinc, in noſtro non ita, ſed ſimplicia, & integra exeunt, inde in lacinias aperiuntur ad coſtas uſque, hæ autem laciniæ rurſus in alias dividuntur. Cætera communia utrique. Primum in ſtagnis prope Baptaleam agri Patavini notavimus (quæ loca & Tournefortianum incolere vidimus) deinde aliis in paludibus.

TRAGOSELINI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Tragoſelinum minus, foliis alba macula notatis.*

QUam multiplex ſit natura in Plantarum differentiis, ex hac etiam innoteſcere poteſt, quam circa medium foliorum macula alba tantum ſignavit, quo diſcrimine internoſceretur diſſimilis vulgari *Tragoſelino minori* TOURNEF. *Inſt. R. Herb.* 309, ſive *Pimpinel*

*mollæ saxifragæ minori* C. B. *Pin.* 60. In collibus & clivis in positione Septentrionali sæpe occurrit, quam & cultu exploravimus.

CHÆREPHYLLI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

I. *Chærephyllum alpinum, perenne, latifolium, non hirsutum.*

HOc in alpestri regione natum radices plures, oblongas, fibrosas, candidas, & suaviter odoras agit, surgitque caule sesquicubitali, foliis plurimis ad radicem stratis humi, paucis in caule cinctum. Hæc latioribus pinnulis, quam in vulgari *Chærephyllo sylvestri, perenni, Cicutæ folio* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 314, exornantur. In summo caule proditur umbella albis floribus, quibus subnascuntur duo semina, oblonga, avium rostrum quodammodo æmulantia.

Differt a *Myrrhide minore* C. B. *Pin.* 160, & *Myrrhide altera* LOB.; siquidem folia nostri pinnulis aliquo intervallo distantibus, & angustis constant, illa densis, & latioribus. Præterea nostrum *Myrrhidis majoris vel Cicutariæ odoratæ* C. B. *Pin.* 160 proceritatem sequitur: illa intra brevius spatium subsistit, unde *minor* nuncupatur non ob folia, quæ majora, quam *Myrrhis odorata*, producit, verum ob caulis humilitatem. Ex his itaque manifestum est, nostrum hoc Chærephyllum ab illa Myrrhide esse diversum, quod clarius etiam innotescet ex nostris, cum emittemus, Plantarum iconismis.

II. *Chærephyllum sylvestre, perenne, Cicutæ folio, flore purpurascente.*

Passim hoc nascitur in montibus *Vette* contra regionem Australem sitis, prono & declivi loco gaudens, qui cum virescit & commune *Chærephyllum sylvestre, perenne, Cicutæ folio* TOURNEF. *Inst. R. Herb.*

 314,

314, sive *Myrrhis sylvestris, seminibus levibus* C. B. *Pin.* 160, a quo solum floris colore separatur.

*III. Chærephyllum montanum, Oreoselini Apii folio minoris forma.*

Si quando peritissimi artificis industria mihi desideranda erit, in hoc condendo summo hujus desiderio tenebor. Ea enim intercedit similitudo inter hoc & commune *Oreoselinum Apii folio, minus* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 318, sive *Apium montanum, nigrum* C. B. *Pin.* 153, ut nemo quidem, si vellet, fingere disparitatem posset, demptis quibusdam villis, & teneritate cum caulis tum foliorum. Non tamen supprimendum esse judicamus, nam florum, seminumque forma facile ab unoquoque internosci posse confidimus. In montibus agri Veronensis invenimus humilioribus tamen, nec asperis, nec apricis, nam uliginosam & opacam sedem postulare cognovimus.

MYRRHIDIS SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Myrrhis minima, hirsuta, foliis elegantissime divisis.*

Hanc Merana solus in quodam Septentrionali dorso infrequentibus consito Fagis & sylvestribus Pinibus *Mughi* vulgo dictis producit, ibi gaudens opaca, & uliginosa humo, radices agit oblongas, crassas, candidas, molles, suaviter odoratas, foliis ordine eleganti divisis coronatur, & hirsutis, ut subhirsutus surgit caulis ad dextantem, pauca & alternatim nascentia folia producens, in summitate diffunditur in umbellam floribus albis ornatam, quibus semina oblonga, albicantia, & in sulculos excavata substituuntur.

Porro antequam de hac certum consilium caperem, tentandam existimavi nunquam decipiente cultura, sub qua semper eadem permansit, nulla uligine aut uber

tate

tate immutata. Quo quidem comperto non dubitavi, quin ei in Tabulis assignanda esset sedes, in qua ab aliis facile dignosceretur, sed præcipue tum ab illa, quæ *Myrrhidis parvæ* nomine Patavii circumfertur, tum ab altera, quam ab amico nostro, & de re Botanica optime merito Petro Antonio Micheli Florentia missam in Horto Mauroceno vidimus.

P A Miche[illegible] laudatur

OREOSELINI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Oreoselinum crispum, angustifolium.*

*II. Idem, floribus purpurascentibus.*

Ex Vallaccia properanti ad subalpinum pagum Aonem, Oreoselina hæc, quæ nunquam antea videram, primum obvia sese mihi obtulere. ViREbant autem quibusdam in pratis sesquicubitum eminentia. Quibus effosis, radices oblongæ, crassæ, subalbidæ, in alias divisæ, & brevibus instructæ fibris in conspectum veniunt, ex his orti foliorum petioli in tres dividuntur, & hi singuli in alios, qui inæqualiter positi, dum foliola confuso ordine exhibent, crispatæ Herbæ formam quodammodo mentiuntur. Nascuntur autem ex radicibus multi & dense (nam cauli duo tresque tantum insident) quorum foliola, angusta sunt, in partes secta, viridia autem, & glabra. Caulis porro subruber est, & glaber, tereti autem forma, & levibus sulculis inæquali, dividiturque in plures ramos, qui singulis in umbellas diffunduntur floribus albis in prima specie (quæ quidem frequentior est) purpureis in altera calyci in orbem insidentibus ornatas. Calyx autem, decussis floribus, in fructum efformatur, qui ex duobus seminibus componitur, ellipticis, planis, latis, ob sulculos quosdam, exiles, & parallelos inæqualibus, qui sulculi ex parte emarginata, qua semina sibi invicem adhærent, ad perpendiculum descendunt.

Hæ

Hæ itaque Umbelliferarum, quas paucas recensuimus, Plantæ claudent in Tabellis numerum, dignæ quidem, ut omnibus præirent, si tantum formæ haberetur ratio.

ERYNGII SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Eryngium alpinum, amethystini facie, purpurascens.*

CUm soleant Eryngia omnia humo lætari aprica, arida, & jejuna, tum hoc quam aridissimam & summe macram incolit, atque contra Meridiem conversam. Locus autem, in quo uno nos vidimus, in montibus Veronensibus reperitur recta semita quæ ad Sinas ducit; ibi & vulgare nascitur *Eryngium montanum, amethystinum* C. B. *Pin.* 386, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 327, sive *Eryngium totum cæruleum* EYST. sed internoscuntur colore, nostrum purpurascente, illud cæruleo.



Com-

# Compendii Pars Altera

*De Plantis Perfectis Flore Perfecto, & Polypetalo.*

## VI. CLASSIS TOURNEF. VIII.

*De Flore Polypetalo* Caryophyllæo.

LYCHNIDIS SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*1. Lychnis sylvestris, alba, simplex, folio ex luteo variegato.*

FLos Caryophyllæus nullo alio discrimine separatur a Rosaceo, quam calyce oblongo, tubulato nimirum, & squamoso, quo Florum petala colliguntur, ut in Caryophyllo luculente apparet, qui etiam huic Floris generi nomen dedit. Caryophyllo ob eandem calycis formam proxima est Lychnis Herba coronaria, in species plurimas divisa, nam ultra centum & quinquaginta numerantur ab auctoribus, etsi a Caryophyllo longe ob specierum summam superetur. Huc autem Lychnidum numero accedent nunc & tres nostræ, hæc nempe *Lychnis sylvestris*, & illæ, quæ proxime sequentur. Quod ad primam hanc spectat, eam huc non afferimus continuo ex collibus raptam, nulloque experientiæ usu cognitam; nam triennio hanc colendo nunc humido solo & opaco commissam, nunc arido & aprico, modo ab illo translatam in pingue & felix, modo vicissim, naturam exploravimus. Compertum denique est, eam nullas vicissitudines pati, neque immutari, itaque non temere constituimus diversam hanc habendam esse ab aliis, & præsertim a communi *Lychnide Sylvestri, alba, simplici* C. B. *Pin.* 204, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 334, sive *Ocymoide albo multis* J. B. 3. 342, ob hoc tantum foliorum discrimen,

men, quæ in noſtra latis, ac luteis colore maculis variantur.

*II. Lychnis alpina, repens, ſaxatilis, quæ Behen album vulgo, folio latiuſculo, & breviori.*

*III. Eadem, flore purpuraſcente.*

Naſcuntur hæ Lychnides in rudetis altiſſimorum montium Baldi, in *Vette* etiam ac frequentiores. Radices exiles, longiores, & albas inter rudera demittunt, circum reptante cauliculo ſemiſſem longo. Huic folia naſcuntur bina & bina, ac parva, lata in exortu, circa finem contracta in acumen. Flores albi in illa, in hac purpuraſcentes (qua tantum varietate internoſcuntur) prodeunt ex foliorum alis magno calyce obvoluti, qui calix ſubpurpureis punctis eleganter inſcribitur. Hic fructum complectitur, conicum, upice dehiſcentem, & ſemine fœtum parvo, ac cinereo. His Lychnidibus in Tabulis noſtris unicam aſſignabimus ſedem, dabimuſque operam, ut partes & diſcrimina explicentur, quibus ſeparantur tum a *Lychnide Sylveſtri, quæ Behen album vulgo*, C. B. *Pin.* 205, & TOURNEF. *Inſt. R. Herb.* 335, tum ab alia *Lychnide ſylveſtri, quæ Behen album vulgo, foliis anguſtioribus, & acutioribus* C. B. *Pin.* 205, & TOURNEF. *Inſt. R. Herb.* 335.

Com-

# Compendii Pars Altera

## *De Plantis Perfectis Flore Perfecto, & Polypetalo.*

## VII. CLASSIS TOURNEF. XII.

### *De Flore Polypetalo* Flosculoso.

Diximus de Flore tum unica petalo constante, tum pluribus; nunc quædam etiam indicamus de Flosculoso Flore, qui nihil aliud est, quam plurimi Flores Monopetali in capitulum collecti, & unico plerumque calyce simul obducti. Quare non a ratione alienum esset, si hic Flos inter Monopetalos recenseretur; etsi nos sequentes principem hujus doctrinæ Virum Tournefortium inter Polypetalos retineamus: verum id alias fortasse faciemus. Interea eodem eximii Viri ordine agamus de hoc genere Floris, bifariam tamen discriminantes Plantulas, quas sub hac classe contineri scimus, primum nempe describemus nonnullas species, quarum Flosculos unicus calyx simul complectitur, deinceps subjiciemus duas tantum, quæ Flosculos præter communem etiam proprio calyce instructos producunt.

### I. PARTICULA

*De Flore* Flosculoso, *cujus Flosculi communi calyce continentur.*

JACEÆ SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Jacea montana, Stæbes folio, minor.*

Inter paucas nostras Floris Flosculosi & calyce communi contenti Plantulas, hanc Jaceam ordine Tournefortiano primam primum quoque describam, quam

quam magna manu in montibus, collibusque legimus. Nascitur plerumque circa eadem loca in eadem positione, ubi & communis reperitur *Jacea montana, candidissima, Stœbes foliis* C.B. *cum in Pin.* 273, *tum in Prodromo* 128, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 444, cui similis, dempta magnitudine. Innitur radicibus lignosis, oblongis, ac albidis, caulemque gignit semissem altum, & in plures ramusculos divisum, quibus insident capitula parva flosculorum purpurascentium. Folia, habita ratione, ut in majore, divisa, a qua, ut dictum est, nullo alio partium discrimine separatur, quam magnitudinis, cujus natura quocunque cultu non immutatur. Idcirco, cum nulla magnitudinis ratio habeatur a nobis in cudendis figuris, hanc quoque in Tabulis prætéribimus.

CIRSII SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

I *Cirsium parvum, foliis rotundioribus, integris, aversa parte albidis, & capitulis compactis.*

IN Montibus Brixiensibus contra Baldum ab Oriente sole tumulosa hoc Cirsium incolit loca, Radicibus nititur multis, oblongis, exilibus, ac subpullis, foliaque fert integra, obtusa, parva, superne viridia, inferne albida, & in peripheria exilibus spinis vallata. Diximus autem in definitione *foliis rotundioribus* conferendo folia nostri cum communium Cirsiorum foliis, nam elliptica sunt, si absolute sumantur. Caulem vero nunquam dodrantem æquare vidimus, in cujus superiore extremitate capitula plura sunt prædense posita, & floribus purpureis ornata.

II. *Cirsium parvum, longifolium, μονοκέφαλον.*

Sequitur hoc certa similitudine præcedens, quare & simul (duobus tamen iconismis) in unica Tabella repræ-

præsentabimus. Differt vero cum foliis longioribus, nec albidis, tum flosculorum capitulo unico fere summo caule innascente, præterea illud in alpestri regione oritur, lætaturque sterili, aridaque sede, hoc in Tarvisinis tantum collibus, & clivis, & sæpe etiam in sylvis, si infrequentibus virgultis consitæ sint, reperitur.

*III. Cirsium alpinum, magnum, & integris foliorum laciniis, ac flore purpureo.*

Venio nunc ad proceriora Cirsia, quorum hoc primum describam, repertum in celsioribus Bassanensibus jugis, loco gaudens opaco, uliginoso, & Septentrionali. Nascitur intra prædensam Herbarum sylvam, non tamen difficile visu, quoniam ob suam proceritatem omnibus præstat. Radicibus est multis, oblongis, crassiusculis, ac nigris, quibus firmiter hæret; surgit ad trium cubitorum altitudinem, caule firmo, tereti, sulculis per longitudinem ductis inæquali, ac glabro. Folia quæ ex radicibus producit, pedalia sunt, quæ ex caule, bessem longa, utrinque tamen similia, laciniis nempe usque ad costas productis, & tres digitos longis, viridibus autem, sed paulum inferne pallidioribus. Hæ vero singulæ ternos, ut plurimum, nervos, qui paralleli, ac æqualiter distantes per longitudinem ducuntur, producunt, in ambitu autem spinis asperæ sunt, reliqua parte glabræ. Caulis porro in duos tresve ramulos dividitur, qui sustinent capitulum plerumque unicum, purpureis floribus ornatum, quod, flosculis arescentibus, deorsum reflexum nutat, tandemque in pappos per maturitatem resolvitur; unaque semen spargit longiusculum, ac albidum.

Hoc quoque Tabulis nostris inferemus, addentes juxta quæ sequuntur duo, cum vel propter elegantiam, vel ob novitatem formæ, non rejicienda esse judicemus.

*IV. Cirsium alpinum, foliis inferioribus rotundioribus, & divisis, superioribus in acutos, & profundos dentes excavatis.*

Dum per præruptas valles ad Feltrensem urbem properabam, hæc perpulchra Cirsii species occurrit, quæ radicibus plurimis, firmis, oblongis, & nigricantibus innixa, hinc atque illinc declivia montium incolebat, atque intra minores Herbas facile discernebatur. Est autem caulis sesquicubitalis, cujus ad exortum folia exeunt magna, rotundiora, & per marginem secta, spinisque aspera: at quæ Cauli adhærent, quam simillima sunt Dentis Leonis folio, iisdem tamen spinis armata. Circa finem porro caulis adest capitulum modo (& ut plurimum quidem) unicum, modo geminum, purpureis flosculis exornatum. Præ se fert hoc Cirsium similitudinem cum illo, quod nomine *Cardus pratensis, Acanthoidis, alpini, flore purpureo* colitur hic, forsitan *Cirsium Acanthoides, alpinum, flore purpureo* TOURNEF. *Inst R. Herb.* 448, nihilominus, comparatione instituta, discrimina multa apparent; quod nempe in nostro dentes longiores sunt, angustiores, acutioresque, in illo laciniæ latiores, & in dentulos aliquos subdivisæ, quod folia, quæ subsunt, breviora & latiora nostrum producit, illud e contrario.

*V. Cirsium alpinum, Echinopi folio, flore purpureo.*

Natale solum obtinet hoc in Baldo in summo Vallis *de l' Ossa* jugo, qua Capreæ ex Monte Majore ad penitiora, & sylvestria revertuntur. Ibi per herbidum tractum nascitur radicibus multis nigris, & sparsis, ex quibus folia producit Echinopo similia, longioribus tamen laciniis, quæ in orbem humi strata disponuntur. Ex eorum medio egreditur caulis bicubitalis, iisdem stipatus foliis, ferens de summa parte parva capitula purpurascentibus floribus.

CONY-

CONYZÆ SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Conyza Virgæ aureæ Saracenicæ folio, flore luteo, pallido.*

INter Conyzarum species non ultimus locus dandus esse huic mihi videtur · cui tanta est similitudo cum *Virga aurea, latifolia, serrata* C. B. *Pin.* 268, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 484. sive *Virga aurea, sive Solidagine Saracenica, latifolia, serrata* J. B. 2. 1063, ut, demptis capitulis, non sit ovum ovo tam simile. Quod in causa fuit, quantum quidem conjectura assequi possum, ut ab Auctoribus præteriretur, cum nimirum florentem non vidissent; nascitur enim in Bassanensibus montibus, sed in Summano copiosior, quem montem, certum est, Bauhinos inter alios peragrasse. Sed utcunque est, hæc diversi generis est, & etiam diversæ classis, gignit radices plures, cubitum longas, crassiusculas, paucis fibris instructas, molles, intus forisque albicantes, ex quibus caules erumpunt multi, bicubitales, & ramosi, ferentes in ramulorum extremitate capitula plurima veluti in umbellam disposita, quæ intra squamosum, & teretem calycem flosculos, qui ex luteo languescunt, colligunt, fœta semine parvo, & oblongo, pappisque instructo.

Esset porro nullius usus, Conyzam hanc in Tabulas referre, ob similitudinem, quæ inter hanc & illam Virgam auream omnibus quidem notam & vulgatam intercedit, nisi radices diversæ, & capitula cum flosculis id exigerent.

II.

## II. PARTICULA

### *De Flore Flosculoso, cujus Flosculi præter communem proprio calyce donantur.*

GLOBULARIÆ SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

*I. Globularia media, caule folioso, flore albo.*

*II. Eadem, flore purpurascente.*

GLobularia inter eas Floris Flosculosi Plantas recensetur, cujus singuli Flosculi proprio calyce instruuntur, & omnes simul cum suis capsulis placentæ, quæ calycis communis meditullium tenet, affiguntur. Quæ quidem Plantæ natura luculentius confirmare videtur opinam de Flore Flosculoso ad Monopetalos revocando sententiam, quoniam in hac & in aliis cognatis generibus Flosculi separatim ex proprio calyce egrediuntur, quemadmodum in nonnullis Monopetalis contingit, in Plantagine omnium, in Coronopo, in Psyllio, in quibusdam Rubeolis, in Valerianis plerisque, in Pimpinellis, in nonnullis Rapunculis, in Labiatis plurimis, & in aliis Plantarum generibus, quorum Flores densè ac propius nascuntur suis calycibus & fructibus insidentes. Quos tamen Flores nemo pro Polypetalis habiturus erit, etiamsi densiores nascerentur, vel omnes simul etiam in fasciculum colligerentur; natura enim Floris non ex calyce, aut ex nascendi ordine, sed ex ipsiusmet Floris forma peten da est. Quæ cum ita sint, non video, cur Flosculus, qui unico constat petalo, inter Polypetalos collocandus sit: nam Flosculus, sive seorsum natus, sive cum pluribus collectus in capitulum, consideretur, semper naturam & formam Monopetali retinebit. Restat igitur, ut tantum ob parvitatem, existimemque a Mo-

a Monopetalis rejiciendus sit Flosculus. Quæ ratio mihi invalida, & vana videtur, primum quod minima quæque perfectiora habenda sunt, *cum*, ut ait Plinius, *rerum natura nusquam magis, quam in minimis tota sit*, deinde quod non omnes Flosculi exigui, & pusilli sunt, immo in nonnullis generibus magni, ut in Dipsaco, Scabiosa, Echinopo, & aliis, postremo quod etiam in Monopetalis plerique sunt Flores parvi & exigui, & tamen ab omnibus retinentur, ut patet ex nonnullis de illis, quæ supra memoravimus, generibus. Illud autem interrogari me posse ab aliquo scio, si Flosculi ad Monopetalos referendi sint, in quanam classem collocarentur? Ego vero censeo eos haud miscendos esse Monopetalis illis, sed ita secernendos, ut eadem sit ratio Flosculorum ad Monopetalos, ac est inter Rosaceos Umbellatos & Rosaceos. Sed hæc obiter dicta sint eo tantum consilio, ut provocemus Botanicorum studia ad aliquid certi in hac re constituendum. Redeamus nunc ad Globulariam, & ad illas species, quas a principio descripsimus. Collegimus utramque in collibus Veronensibus solidam & peraridam humum postulantem, illa autem late tenet collinos tractus, hæc infrequens tantum clivosos, & totum excipientes Meridiem. Cæterum imitantur, præterquam in florum colore, communem *Globulariam vulgarem* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 467, sive *Bellidem cæruleam, caule folioso* C. B. *Pin.* 262.

Com-

# Compendii Pars Altera

## *De Plantis Perfectis Flore Perfecto, & Polypetalo.*

## VIII. CLASSIS TOURNEF. XIII.

### *De Flore Polypetalo* Semiflosculoso.

DENTIS LEONIS SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Dens Leonis, qui Pilosella officinarum, foliis oblongis.*

QUæ supra de Flore Flosculoso dicimus, ea omnia etiam ad Semiflosculosum pertinere videntur, non enim est aliquis natura Semiflosculus, cum inter petalum & Florem Monopetalum nihil sit medium, simul ac petalum ab aliqua sui extremitate sibi accedens aut in anulum aut in tubuli formam disponitur, etsi reliqua parte solutum, expansum, & planum remaneat, Flos Monopetalus statim evadit, hæc enim est Monopetali Floris natura, ut nempe petalo non plano constet, hac sublata, quo alio discrimine a petalo separaretur? Quare, cum Semiflosculus ab altera sui parte in tubulum efformetur, Flos est, & Monopetalus, quem ego soleo Florem Monopetalum *Lingulatum* vocitare, quoniam veluti in ligulam desinit, quemadmodm Unilabiatus dicitur, qui in labium. Porro, ut mittamus hæc, hujusmodi Floris Semiflosculosi quatuor species hic describendas habemus Dentem Leonis illum, Hieracium, quod proxime sequetur, & deinceps Lactucas sylvestres & spinosas duas.

Dens autem Leonis nascitur in Collibus Euganeis, ex quibus in Hortum Maurocenum translatus, atque per triennium una cum vulgari Pilosella cultus, pristinam

fo-

foliorum formam retinuit. Quare a *Dente Leonis*, *qui Pilosella officinarum* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 469, idest a *Pilosella majore*, *hirsuta*, *repente* C.B. *Pin.* 262 diversam constituimus, quod & gravissimus auctor Sherardus (cui & Herbam virentem ostendimus, & exemplum dedimus) comprobavit, quandoquidem folia, quæ noster producit, ad illius vulgaris folia dupla ratione se habent. Quam proportionem & in Tabulis servandam curabimus.

### HIERACII SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Hieracium alpinum, humile, hirsutum, inferiore parte longioribus, ac candidis villis refertum.*

INvenimus hoc Hieracium in Sinarum tantum Alpibus sub jugo *Tietatis* ad Meridiem converso, loco quam aridissimo; radicibus oritur longis, exilibus, plurimis per pulverulentum solum sparsis (etenim altissima rupes ita circa verticem exporrigitur, ut latissimum spatium ad radices relinquat a pluviis tutum, nisi Austris contra spirantibus). Ex radicibus folia erumpunt per aliquod intervallum in dentes secta, & subrotunda, quæ autem a caule oriuntur, oblonga. Caulis porro pedem crescit in ramulos divisus, in quibus flores, & semen gignit, ut congenera. Is dum manu attrectatur, sub digitis viscidulus invenitur, ut & ramuli. Tam vero caulis, quam foliorum petioli, qui a radicibus exeunt, per duorum digitorum spatium longis, & candidis villis vestiuntur.

Plurima Hieraciorum turba hortari videtur, ne sine certa sede extra Tabulas hoc errare inter multitudinem patiamur. Quis enim internosceret sine imagine e. g. ab illis (etsi aliud & diversum sit) *Hieracio villoso*, *Sonchо lanato Dalechampio dicto* RAI. *Hist.* 231, & *Hieracio villoso*, *Sonchо lanato Dalechampii affini latifolio ejusdem* RAII *Hist.* 144?

LACTUCÆ SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

*I. Lactuca sylvestris, costa spinosa, angusto, integro folio.*

*II. Eadem latifolia, foliis integris.*

NAscuntur in collibus frumentariis, gracilibusque arvis tollentes sese e terra sesquicubitum; foliis Prima gramineis constat, vel potius triticeis ad exortum in formam sagittæ dispositis, quibus peculiariter opponitur Barrelierianæ *Endiviæ minori, lactucinæ, spinosæ Icon.* 136, *Lactucæ* nimirum *sylvestri, angusto, laciniato folio* BOT. *Monsp.*, cui folia inferiora laciniata sunt. Altera autem lata producit, & tam superiora quam inferiora divisa; quod contra observatur in vulgari, *Lactuca sylvestri, costa spinosa* C. B. *Pin.* 23. & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 473, sive *Lactuca sylvestri, sive Endivia multis dicta, folio laciniato, dorso spinoso* J. B. 2. 1003. Utriusque tamen discrimina exactius in Tabulis explicabuntur.



Com-

# Compendii Pars Altera

## *De Plantis Perfectis Flore Perfecto, & Polypetalo.*

## IX. CLASSIS TOURNEF. XIV.

### *De Flore Polypetalo* Radiato.

VIRGÆ AUREÆ SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Virga aurea, latifolia, serrata, pallido flore.*

AGemus hic breviter de quatuor speciebus Flore Radiato instructis, qui Flos eandem sibi a Botanicis animadversionem requirit, quam & Flosculosus & semiflosculosus, quoniam utroque constat, etsi aliquando etiam solis Flosculis, ut apparet *in Chrysanthemo Cretico, petalis florum fistulosis* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 491, *in Tagetibus Indicis, flore simplici, fistuloso, & flore fistuloso, duplicato* H. L. *Ba.*, *in Bellide hortensi, rubra, flore multiplici, fistuloso*, H. R. *Par.*, *& Matricaria, foliis florum fistulosis ejusdem Horti*, atque in aliis Plantis. Porro genera illa Xeranthemum nempe, & Carlinam, &, siquæ alia inveniuntur hujusmodi Floris, quæ discum compositum ferunt ex Flosculis, coronam autem ex petalis, sine ulla hæsitatione in novam Classem reciperem, quæ media collocaretur inter Monopetalos & Polypetalos; nam hæ Plantæ ob Flosculos, qui Monopetali sunt, ad Monopetalos pertinent, ob coronæ petala, quæ plana sunt, ad Polypetalos. Sed de his rebus alias, nunc dicamus de nostris speciebus, & primum de hac Virga aurea, quam sæpe præteritis annis, cum nobis per Alpes occurrisset, neglesimus tamen, aliis intenti. At, cum anno proxime elapso copiosissimam in Sinis legissemus, huic opusculo inserere non dubitavimus; siquidem dissimilis est manifesto florum colore

2 *Virga aurea, latifolia, ferrata* C. B. *Pin.* 268, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 464.

### JACOBÆÆ SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

*I. Jacobæa alpina, latifolia, foliis longioribus, ferratis.*

CUm in Merana, Summano, & aliis alpestribus regionibus nascatur, & culta pristinam, ac naturalem formam retineat, nobis digna videtur, ut & hoc loco de ea mentionem habeamus, & in Tabulis etiam honorificam fedem assignemus. Quo consilio insuper cavebitur, ne hæc nostra misceatur cum illa TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 485 *Jacobæa montana, integro, sublongo folio Barr.*, quam delineatam *Icon.* 146, & descriptam in opere posthumo præfati auctoris Barr. habemus. Etenim, ut illa lanuginosa dicitur, sic nostra longiora, & dentata folia gignit. Quo foliorum discrimine (longitudine nimirum) separatur & a *Jacobæa alpina, foliis subrotundis, ferratis* C. B. *Pin.* 131, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 485, sive *Conyza alpina* J. B. 2. 1055, quæ folia in nostra ad hujus sesquialtera inveniuntur.

*II. Jacobæa vulgaris, major, foliis profundissime, & anguste laciniatis.*

Dum per agrum Mantuanum, quæ a Virgilio nominantur Plantæ, curiose perlustrabam, incidi insperato in banc, quæ, in vepretis posita sede, cum sui forma & specie, tum ea, qua ex minore sylva eminebat, proceritate, prætereuntium oculos invitabat. Hanc igitur avide evulsam sine ulla hæsitatione a vulgatis diversam pronunciavi. Nam (ne de radicibus nihil dicam; sunt namque & vulgatis illis eædem) folia ita divisa inerant, ut, cum essent angustiores, quam in vulgari, laciniæ, omnes tamen ad costas usque producerentur. Hæ autem laciniæ, quamvis folia expansa late diffunderentur, ad exortum tamen ita continuabantur, ut pri-

primæ ipsum caulem quasi penetrare viderentur. Præterea foliola bina similibus laciniis instructa hinc illinc orta comitabantur, quæ in vulgari Jacobæa fortasse desiderantur, ego certe nunquam vidi, neque ab aliis notata unquam legisse memini. Porro, cum ea esset Herbæ proceritas, ut trium cubitorum altitudinem facile excederet, folia tamen non longiore aberant intercapedine, quam in vulgari *Jacobæa laciniata* C. B. *Pin.*, immo quibusdam in locis etiam breviore. Quod valde me movit, & eo a principio inter cætera inductus sum, ut diversam haberem. Etenim, quæ eædem sunt, licet aut ex cultura, aut ex situ modo uliginoso, modo sterili & arido inæqualis magnitudinis appareant: attamen ita conveniunt, ut majoribus intervallis in majore, minoribus in minore partes semper disjungantur. Si enim communis Tritici duo culmi, quorum alter in felici & uberoso vervacto, alter in jejuno & restibili colle fuerit cultus, invicem conferantur, ut erit major ad minorem, ita erit internodium ad internodium, & similiter spica ad spicam, & quot cicutæ & nodi in majore culmo, tot etiam in minore. Ad hoc cicuta prima majoris ea porportione se habebit ad secundam, & hæc ad tertiam, qua minoris prima ad secundam, & hæc ad tertiam. Ita quoquo modo, aut quoquoversum partes aut totum sumpseris, eadem in utroque sequetur vicissitudo. Nihil enim aliud est Plantarum augmentum, quam earum partium, quæ in semine aut in gemmis continentur, extentio, atque productio: hæ autem semper certa procedunt ratione, nisi vitium adsit, aut alia multa tum interiora, tum exteriora. Quare, cum in nostra Jacobæa, partibus ita extensis, ea non reperiatur proportio, quæ necessario inter majorem & minorem intercedere debet, fatendum est aliam esse, & diversam. Ut igitur nulla dubitatione hanc nostram distinguimus a *vulgari Jacobæa*, *laciniata* C. B., & ab altera *Jacobæa*

*vul.*

*vulgari, foliis instar Erucæ laciniatis ejusdem* BAUHI. *Pin.* 132 : Ita quoque dissimilem habemus *Jacobææ illi Lusitanicæ, altissimæ, tenuissime laciniatæ* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 485, quoniam nostra quodammodo vulgaris species est, illa non. Quod ut clarius intelligatur, sciendum est, species plurimas esse, quæ tamquam genera subalterna, cum ad suum genus, a quo nomen habent, referuntur, species sunt, cum vero ad cognatas quasdam species, & sui similes, quasi genera sunt habendæ. Hujus rei exemplum desumamus a Ranunculo speciebus refertissimo: harum non ultima est *Ranunculus tridentatus, vernus* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 286. Hic, quoniam sub Ranunculo continetur, species est, at, cum & ipse suas species habeat, genus subalternum dici posse mihi videtur. Species autem illius sunt *Ranunculus tridentatus, vernus, flore simplici, cæruleo* TOURNEF., *Idem, flore simplici, violaceo* TOURNEF., *Idem, flore simplici, purpureo* TOURNEF.; *Idem, flore simplici, albo, magno* TOURNEF.; *Idem, flore pleno, cæruleo* TOURNEF., *Idem, folio variegato* TOURNEF., & nonnullæ aliæ, quas prætermimus. Ita quoque *Ranunculus ille aquaticus, Plantaginis folio* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 292 genus subalternum erit, quoniam suas species possidet. Quod & de aliis Ranunculi & aliorum generum speciebus dicendum est, cum species in plures dividuntur, nomenque generis retinent quidem, sed tamen plura desumunt ex specie illa, cujus similitudinem aliquam præ se ferunt. Hoc luculentius apparet in Jacobæa nostra, quam *vulgarem* appellavimus, ut significaremus, hanc esse Jacobææ vulgaris veluti speciem, Botanicos omnes in hac re imitati: At Cl. Tournefortius, cum vidisset suam Lusitanicam nullam vulgaris Jacobææ referre similitudinem, *vulgarem* appellandam esse non judicavit; sed, ut speciem ab omnibus diversam absolute a forma nominavit *Jacobæam Lusitanicam, altissimam, tenuissime laciniatam*;

quam

quam nunquam ita descripsisset, si hæc nostra cum Lusitanica illa conveniret. Etenim, ut in cæteris Botanices partibus hic Auctor summe diligens fuit, ita in describendis Plantis omnium diligentissimum se præstitit, quare *vulgarem* dixisset illam, aut aliquo modo similitudinem indicasset, ut in pluribus aliis hoc fecisse vidimus, & etiam in Jacobæa illa *Cor.* 36 in Orientalibus provinciis reperta, quam ob similitudinem cum *Jacobæa Pannonica I.* CLUS. *Hist. XXI.* ita descripsit *Jacobæam Orientalem, Pannonicæ I. Clusii similem, folio amplissimo.*

MILLEFOLII SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Millefolium purpureum, majus, foliis crispis, & retortis.*

HÆc quinta & ultima est Floris Radiati species, de qua simul ac pauca dixerimus, finem imponemus Plantulis nostris, quæ extra terram gemmis privantur. Vidimus hoc Millefolium primum in agro Patavino prope Urbem circa aggeres Meduaci; deinde in aliis regionibus invenimus, montosis etiam, & frigidis natum. Distinguitur porro a *vulgari Millefolio majore* C. B. *Pin.* 140, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 498, sive *Millefolio, rubro colore* CLUS. *Hist.* 331 tum colore totius Herbæ, cum ex viridi canescat, tum foliis, quæ crispata cirrorum instar fucatæ mulieris retorquentur. Huic ultimam inter Herbas & Suffrutices sedem in Tabulis assignabimus, quod ob pulchritudinem formæ omni diligentia delineandum esse judicamus.

# COMPENDII

## *PARS ALTERA*

## DE PLANTIS,

*Quæ certo ordine producuntur, atque generantur.*

## DIVISIO ALTERA

*De Plantis, quæ certo ordine producuntur, atque generantur, extra terram Gemmiparis.*

### DIGESTIO PRIMA

*De Plantis Gemmiparis Flore Imperfecto seu minus Perfecto.*

### CLASSIS UNICA *TOURNEF. XIX.*

*De Flore Imperfecto Amentaceo.*

QUERCUS SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Quercus Dentis Leonis folio, gemma longioribus staminibus stipata.*

PLantis tum Incertis, tum Certis gemmas extra terram non ferentibus, sive minus Perfectis, sive Perfectis, & his vel Flore Imperfecto, vel Perfecto Monopetalo, aut Polypetalo, quas addere potuimus species, subjecimus nunc transeamus ad illas, quas Certas quoque appellavimus, gemmas extra terram producentes, floribusque omnes exornatas, & fructibus quoque, seminibusque. Et primum formam, & na-

naturam Floris contemplantes describemus paucas Plantulas, quæ Imperfectum & Amentaceum Florem producunt, deinceps reliquas Perfectum gignentes. Incipiamus itaque ab hac Quercu, nostrarum omnium Plantarum maxima, quæ quidem nescio quo bono Fato nobis reservata sit, cum frequentissima inveniatur omnibus fere sylvis cæduis, montosisque regionibus, & ea sit proceritate, ut inter omnes nostri Orbis Plantas vel emineat, vel altitudine certet. Porro discrimina, quibus diversam aliis Quercubus judicavimus, in foliis, & gemmis continentur, folia enim quam simillima producit Dentis Leonis folio, gemmas autem multis staminibus semipollicem longis stipatas edit. Hæc igitur initium dabit Arborum, Fruticumque Tabellis nostris.

### ALNI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

1. *Alnus alpina, folio eleganter serrato, plano, nec glutinoso.*

INter alpinas Alnos, quæ per montana juga nascuntur, non infrequens hæc in sylvis inter Fagos, Laricesque nascitur, quibus in locis & sæpe inveniuntur illæ duæ Cl. BOCC. *Mus. Tart.* 2. 138 *Tab.* 96 *Alnus montana, denticulato, crispo folio*, & *Alnus lato, crispo folio*. A quibus nostra differt, primum quod folia neque crispa, neque glutinosa ferat, sed plana, & in ambitu tenuissimis denticulis secta, deinde quod non ita saturo colore rubras gignat radices, ut fontes hinc malo succo inficiantur. Et his discriminibus simul ab utraque separatur. Singillatim vero a prima cum magnitudine, & forma foliorum, tum proceritate caudicis: ab altera foliorum tantum figura, quæ folia in nostra oblonga sunt. Describuntur autem ab Auctore prima hisce verbis *Nelle montagne della Corsica cresce una specie d'Alnus alta meno della statura d'uomo; ella produce*

*le foglie ovali, piccole, crespe, glutinose, nigricanti, e nel margine alquanto dentate: il frutto ubbidisce alla legge del suo genere*). Altera autem sic. *Questa seconda specie cresce più alta della precedente, le sue foglie sono più serrate, più rotonde, e più larghe, ma insieme crespe, negre, e glutinose. Nascono entrambi in cima alla montagna d' Ino, e Campo Tile, e l' acque che inaffiano le loro radici vengono tinte d' un color rosso pallido: e Pastori s' astengono di dare a bere al loro gregge di tal acqua, come nociva*. Ex quarum descriptionibus manifestum est nostram ab illis discriminari, quod ex icone clarius futurum speramus.

II. *Alnus rotundifolia, glutinosa, vulgaris, cortice pallidiore, ac subcineracea.*

III. *Alnus rotundifolia, glutinosa, vulgaris, fronde minori.*

IV. *Alnus folio oblongo, viridi, cortice albo.*

V. *Eadem, cortice pallidiore, ac nitidiore.*

HÆ quatuor Alni species passim per Cisalpinam Galliam ad limites agrorum, atque secus lacunas occurrunt, coluntur enim ab agricolis in pedamentorum usum, quibus vites sustentantur. Differunt porro a vulgatis prima, & secunda *ab Alno rotundifolia, viridi* C. B. *Pin.* 428, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 538 altera cortice pallido, ac subcineraceo (cum vulgata illa nigricante obducatur), altera minori tantum fronde: tertia autem, & quarta discriminantur ab *Alno folio oblongo, viridi* C. B. *Pin.* 428, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 585 utraque cortice candido.

SALI

SALICIS SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

I. *Salix perticalis, alba, folio, veluti sericum, nitida.*

HAnc ex agro Mantuano habemus, cujus proceritas, forma, caudex, perticæ, & virgarum cum magnitudo, tum color communia sunt cum *Salice vulgari, alba, arborescente* C.B. *Pin.* 473, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 590: Ita eundem præstat usum ad pedandas vites, cum eadem sit in virgis ad ligandum infirmitas. Foliis autem solum discriminantur. nostræ folia ut breviora, ita latiora sunt, acuminata tamen, sed per marginem vix dentata. At color inest albidus præsertim in tenellis, qui in adultioribus superne pendet in glaucum. Porro hæc albedo ita cum nitore conjungitur, ut obliquo lumine serica referat.

Septem hic referemus Salices, omnes partibus, quæ sub scalpellum cadunt, instructas, ideo cunctas in Tabulis collocabimus, hanc primam primo loco, deinceps reliquas, eum, quo nunc describemus, sequentes ordinem.

II. *Salix montana, angustissimo, & longissimo folio, sinuato, subtus albido, superne nigricante.*

Vidimus hanc in Feltensibus montibus juxta torrentes, colituque eadem ab alpicolis in usum viminis. Perticalium Salicum sub dupla est proceritate; Caudex bessem crassus, molliore quam in cæteris obtectus cortice. At folia quadrantem longa vix pollicis trientem lata, subtus albida, superne nigricantia, & sinuata.

Verum quoniam novimus quandam Salicis speciem, quæ non dissimilis nostræ huic videtur, necessarium existimamus, Lectores nostros, aliam esse afferentes, admonere. Hæc a DOM. CAB. 64 dicitur *Salix angustis, & longissimis foliis, crispis, subtus albicantibus, superne vi-*

*rescentibus*, a C. B. *Pin.* 474 *Salix oblonga, incano, acuto folio*, nam in nostra nunquam invenient cinereum, aut virescentem colorem, neque *folia in ambitu magna ex parte crispa*, cum circa costam, curvatis nervulis, in sinus colligantur, in ambitu autem sint plana.

*III. Salix montana, minor, foliis oblongis, acuminatis, binis & binis nascentibus.*

Sequitur hæc ea caudicis magnitudinis ratione superiorem, qua illa primam. Quam quidem summo cum labore legimus abstrusam in abditissimis montium sylvis. Reperitur etiam, sed perraro in imis vallibus loco opaco, & uliginoso gaudens. Cortice, & virgis pallescit ex viridi, virgæ autem longiores sunt, lentescentes admodum. In his folia bina & bina ex adverso nascuntur, oblonga, acuminata, & leviter per ambitum secta, glauca subtus, superne virescentia.

*IV. Salix pumila, alpina, canescens, folio oblongo, angusto, non serrato.*

Venio nunc ad pumilas Salices, quæ in regionibus alpestribus tantum nascuntur, quarum hæc maxima est. Densissimis surgit virgultis ad quatuor cubitorum altitudinem, lætaturque admodum humidis vallibus, profundis, & opacis saltibus. Virgas lentescentes fert, canitieque molles; ita quoque incana folia gignit, sed inferne candidiora, oblonga, angusta, non serrata in ambitu, aut dentibus inæqualia.

*V. Salix pumila, alpina, nigricans, folio oleagino, serrato.*

Hæc ordine quinta, lecta autem ante omnes prima, nascitur prope Baldum qua parte contra Septentrionem magis exporrigitur. Longe accolit hinc illinc fluvium, qui inepte *acque negre* ab incolis nuncupatur, cum pura, & limpida aqua, frigidissima tantum per imma-

immania faxa delabatur. Ibi vero veluti perpetua fervatur hyems, & nix antiquissima, manet ea quantitate ex superioribus jugis revoluta, ut postea conglaciata passim firmos pontes efficiat subter labente fluvio. Salix itaque hæc, reliquiæ quondam amplissimæ sylvæ, ibidem nascitur prædensis virgultis; quorum quæ altissima surgunt, trium cubitorum proceritate sunt, hæc ramosa fiunt nigricantibus, & lentis virgis longitudinis plerumque sesquipedalis, folia ex virgis oriuntur oleagina, serrata, utrinque acuminata, nigricantia, inferne tamen pallidiuscula.

*VI. Salix pumila, alpina, folio oleagino, rigido.*

Eadem fere proceritate sequitur hæc superiorem, sed passim in Alpibus reperitur, quo latere aut ad Boream vergunt, aut contra Occidentem Solem convertuntur, lætissima circa ea loca nascitur inter Chamæcerasos, & Chamærhododendros, ramulos gignit breves non obsequiosis virgulis. Hos folia exornant oleagina, glauca superne, infra subcinerea, exiguis per marginem serris inæqualia, at firma, & rigida.

*VII. Salix pumila, alpina, Myrsinites.* Myrsinites;

Absolvemus hac septima Salicula & omnium nostrarum minima Imperfecti Floris Gemmiparas Plantas, quam non sine ratione minimam appellamus, siquidem sesquicubitum tantum crescit. Lætatur autem altissimis jugis, & frigidis dorsis, idcirco felicissima prodit densa sylvula in Feltrensibus vallibus *Vette*, & Morsuplani. Rigidis & infirmis virgulis est, foliis quam simillima *Myrto angustifoliæ, minori* J. B. 1. 513; exilioribus tamen, neque rigidis, in ambitu leviter denticulis asperis, nitidis autem, & glaucis, aversa parte albidis.

COM-

# COMPENDII
## *PARS ALTERA*
## DE PLANTIS,
*Qua certo ordine producuntur, atque generantur.*

### DIVISIO ALTERA
*De Plantis extra terram Gemmiparis.*

### DIGESTIO ALTERA
*De Plantis Gemmiparis* Flore Perfecto.

### SECTIO PRIMA
*De Flore Perfecto* Monopetalo.

### CLASSIS UNICA. TOURNEF. XX.


Uoniam nos quinque tantum Arborum, & Fruticum species Florem uni copetalo constantem producentes nacti fumus, quas vulgatis addendas esse indicaremus, noluimus quicquam de Flore Monopetalo inter Gemmiparas innovare, sed Cl. Virum Tournefortium secuti eas sub unica classe describemus; non tamen promiscue, sed more nostro bifariam divisas. Anomalum porro, & Campaniformem cum Labiato præteribimus, quippe hujusmodi Flore Plantis caremus, Infundibuliformem solum attingemus, a quo tamen separabimus Hypocrateriformem. De Infundibuliformi proprie dicto, & Rotato paucula dicemus separatim tamen, ut fecimus inter Herbas, & Suffrutices. Nunc ordine incipiamus.

I. PAR.

## I. PARTICULA

### *De Flore Monopetalo* Infundibuliformi proprie *dicto*.

THYMELÆÆ SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Thymelæa Lauri folio, deciduo, ex albo variegato.*

EX quinque illis speciebus, quas proxime memoravimus, quatuor Florem producunt Infundibuliformem proprie dictum, quarum hæc & ordine, & foliorum pulchritudine cæteris præstat. Reperitur autem non raro in montibus, semel in Summano occurrit & princeps; at in Bassanensibus dorsis terque quaterque vidimus. Ibi enim & vulgaris nascitur quam frequentissima *Thymelæa Lauri folio deciduo sive Laureola fœmina* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 595. *Thymelæa folio deciduo, flore purpureo, officinis Laureola fœmina* C. B. *Pin.* 462, cujus fructus quam diligentissime a quibusdam hominibus colligitur, ut inde pessimo lucro sibi victum quæritent. Etenim baccas sole torrefactas in pulverem minutissimum redigunt, & addentes Carthami flores croceos, & Cinnamomi parum, ut illi mixturæ colorem, & odorem aliquem concilient, palam in nundinis pro aromatibus vendunt, nihil reclamantibus Medicis. Emunt farraginem illam minimi ignara gens, qua loco conditura pauperculas mensas condiunt, nescientes quanta sæpe mala sibi parent. Nam vidimus nos ob pessimi pulveris usum plerosque homines tam violentam, tam immanem alvi dejectionem contraxisse, ut abrasis visceribus, & apertis vasorum osculis, miserabili mortis genere cruciati perierint tandem; quorum nonnullis, dum hac illac vagando Plantas perquirebamus, ad nos confugientibus

medi-

medicam opem tulimus. Et hæc obiter de abusu Thymelææ fructus; qui tamen & semper damnabitur a Botanicis, & semper retinebitur ob improborum hominum malitiam. Cæterum nostram speciem a communi distinguimus, quoniam folia albis, ac latioribus maculis variata producit.

LIGUSTRI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Ligustrum vulgare foliis, & ramis terno ordine nascentibus.*

HÆc Ligustri species, sive, ut volunt, differentia, passim occurrit in sepibus, secus montium vias, & circa macerias, quam ex illo, quo & folia, & rami sive gemmæ egrediuntur, ordine, diversam facimus a *Ligustro*, J. B. 1. 528, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 595. *Ligustro Germanico* C. B. *Pin.* 475.

JASMINI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Jasminum vulgatius, flore albo, foliis, & ramulis alterno ordine exeuntibus.*

HOc Jasminum foliis & ramulis alternatim nascentibus colitur in quibusdam hortis ad Benacum sitis, ex quibus nos huc transtulimus. Non enim dubitandum est, quin pro nova specie habendum sit, cum differat a *Jasmino vulgatiore, flore albo* C. B. *Pin.* 397 & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 597 ob foliorum, & gemmarum ordinem, quæ ex sex illis partibus sunt, de quibus ostendimus, species illinc esse quærendas.

II.

## II. PARTICULA

### *De Flore Monopetalo* Rotato.

### VIBURNI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Viburnum vulgare, foliis ad nodos ternis & ternis.*

SUpereſt hæc ex quatuor illis Gemmipararum ſpeciebus Flore Monopetalo inſtructis, quam ſeparatim ponimus, quoniam Rotatum producit. Cæterum nullo alio diſcrimine, quam foliorum, diſtinguimus a *Viburno vulgari* MATTH. 108, & TOURNEF. *Inſt. R. Herb.* 607. *Lantana vulgo aliis Viburno* J. B. 1. 557, quod hoc binis exornatum caulem ferat, noſtrum ternis. Reperitur autem paſsim in collibus.



V COM.

# COMPENDII

## *PARS ALTERA*

## DE PLANTIS,

*Quæ certo ordine producuntur, atque generantur.*

## DIVISIO ALTERA

*De Plantis extra terram Gemmiparis.*

## DIGESTIO PRIMA

*De Plantis Gemmiparis Flore Perfecto.*

## SECTIO ALTERA

*De Flore Perfecto, & Polypetalo.*

## CLASSIS UNICA *TOURNEF. XXI.*

*De Flore Polypetalo* Rosaceo.

CELTIS SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Celtis fructu nigricante, foliis variegatis ex luteo.*



Um multa & diversa sint inter Herbas, & Suffrutices Floris Polypetali discrimina, in Arboribus, & Fruticibus hæc ad duo fere rediguntur, Rosacei nimirum, & Papilionacei. Rosacei Floris decem habemus species, quas ordine describemus: Papilionacei nullam, ideo hic ipsum præteribimus. Porro Rosacei Floris prima hæc est *Celtis fructu nigricante, foliis variegatis ex luteo*, quæ abstruditur in subalpina valle Brixiensis a-

gri

gri Benaco ab Orientali regione imminente. Coaluit autem inter saxa immani trunco, paululum primum prona, dein aucta in proceram altitudinem, ut cunctas congeneres natura fert. Folia autem magnis ex luteo maculis variantur. Hæc tantum diversa gignit; nam reliqua cuncta communia sunt cum *Celti fructu nigricante* TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 612. *Loto fructu Cerasi* C. B. *Pin.* 447.

RUBI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES

*I. Rubus alpinus, trifolius, erectus, folio serrato, mitioribus spinis, & subhirsutus.*

*II. Idem, flore purpureo.*

INter alpinos Rubos hi facile maximi ad trium cubitorum altitudinem surgunt, nam qui vulgaris sive *Rubus fructu nigro* C. B. *Pin.* 479 dicitur, qui omnibus proceritate præstat, alpina loca non incolit, frigoris impatiens. Porro hi erecto, & subhirsuto sarmento tollunt sese, inde aliquantulum curvantur deorsum, foliis Ulmo simillimis in ambitu serratis, ternis in singulis pediculis ornantur. Scatet autem sarmentosus caulis spinis denso agmine positis, scatent foliorum petioli, sed innocuis, debilibusque. Flores observavimus albos in primo, in altero purpureos, fructus nunquam. Horum unum inseremus nostris iconismis tum ob formam, tum etiam ut separemus ab illo *Hort. Cath.* 193 *Rubo trifolio, repente, molliculo folio, piloso, fructu cæsio, majori*; reptat enim inter cætera hic, cum nostri erecti surgant.

AMYGDALI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS

*Amygdalus Mali Persici ossiculo similis nuce, & nucleo amaro.*

HAnc primam ex Gemmiparis, quæsitis a fructu discriminibus, delineatam exhibebimus in Tabu-

lis, etsi enim vulgatis illis Horti Catholici persimilis videatur, nuce tamen quam longissime abest. Huic nuci tanta intercedit similitudo cum Persici Mali ossiculo, ut ille tantum, qui vindemiat, internoscat. Porro hanc decerpimus & primum & semel in hortis quibusdam ad Benacum sitis.

### MALI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Malus horæa, quæ pumila vulgo, instar Arboris.*

TAndem perventum est ad Plantam illam, quæ ante omnes, si temporis, quo primum nobis in notitiam venerat, habenda esset ratio, fuisset collocanda. Prima enim adolescentia, ut dictum est, probe tenebamus esse longe dissimilem tum illi *Malo exiguæ, pallidis floribus* C. B. *Pin.* 433, tum illi *Malo pumilæ, quæ potius frutex quam arbor, fructu candido* C. B. *Pin.* 433, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 634, deinde eam per Cisalpinam Galliam non semel in hortis, & pometis agnovimus. Caudice procero, & in ramos diffuso, bessemque crasso reliquas imitatur Malos, pomo quoque, & frondibus haud absimilis vulgari pumilæ, at in reliquis si conferantur, tantum nostra eminet,

*Quantum lenta solent inter Viburna Cupressus.*

### CORNI SPECIEBUS ADDATUR SEQUENS.

*Cornus fœmina, foliis, & ramis ternis nascentibus.*

HÆc finem dabit Plantis, quarum differentiæ ex positione foliorum petuntur, de quibus rursus obtestamur Lectores nostros, ne ante sententiam pronuncient, quam optimum quemque Botanicorum, tum qui ante nos extiterunt, tum etiam qui hac ætate florent, adeant, videantque ordinem, quo in separandis Plantis procedunt. Nos eas multis laboribus invenimus, diuque colendo tentavimus naturam. Nam, cum plerasque

que Plantas passim inveniri dicamus, id intelligendum est, quoniam nobis, qui a primo vere usque ad brumam errando multas peragramus regiones, sæpissime occurrunt. In quarum numero est & hæc Cornus, quam sæpe in sepibus, collibusque legimus triplici foliorum, ramulorumque ordine distinctam a *Corno fœmina* C. B. 447, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 641. *Corno fœmina, putata Virga sanguinea* J. B. 1. 214.

MESPILI SPECIEBUS ADDANTUR SEQUENTES.

*I. Mespilus sylvestris, spinosa, sive Oxyacantha, folio leviter inciso.*

*II. Eadem, folio in profundas lacinias diviso.*

*III. Eadem vulgaris Oxyacantha, rarioribus spinis.*

*IV. Eadem vulgaris Oxyacantha, pomo majore.*

CLaudimus tandem his quatuor Mespilis libellum, de quibus strictim dicamus pauca. Prima fert folia fere integra, superius tantum in tres partes divisa incisuris brevissimis, quæ partes haud ram rarius aperiri videntur, at poma majora, rotundiora, atque intensius rubra, quam vulgaris producit *Mespilus Apii folio, sylvestris, spinosa, sive Oxyacantha* C. B. *Pin.* 454, & TOURNEF. *Inst. R. Herb.* 642. Secunda ab hac vulgata C. B. distinguitur cum foliorum laciniis, profundioribus nempe, & angustioribus, tum spinis brevioribus, crebriore agmine positis. Propius tamen accedere videtur ad *Mespilum Anthedonoidem, folio minore*, sive *Oxyacantham, minore folio, spinosam Icon.* BARR. 360, quamvis non ita pumila sit nostra, neque folia minora, sed profundius secta gignat, adde, non ita longis armari spinis, sed brevioribus, & aduncis.

De duabus reliquis hæc sufficiant: convenire in omnibus cum vulgari, primam solum differre spina-

rum

mm infrequentia; alteram pomorum magnitudine, quæ media sunt inter illa *Mespili Aroniæ*, & vulgaris Oxyacanthæ.

Loca autem quæ incolunt, collina plerumque sunt; præter ultimam, quam tantum vidimus fecus viam, qua Verona Brixiam versus recto cursu itur, tractu quodam arenoso, & sterili insidentem.

Breviter porro complexi sumus harum quatuor descriptiones, quoniam de singulis rursus acturi sumus in Tabulis, quod & in superioribus aliis, quæ delineandæ sunt, Plantis consulto fecimus, ut dicendi materia pro Tabulis relinqueretur.

FINIS.

IN-

# INDEX PLANTARUM,

## Quarum descriptio in Compendio exhibetur.

### A



### B



*II Ea-*

C



Cy-

D



E



F



X fo-

G

M



I. Mi-

O



P



Q



R



S



Sa-

*XVI.*

V



F I N I S.

JU-

JULII
PONTEDERÆ PISANI
EPISTOLA
*AD CLARISSIMUM VIRUM*
GUILIELMUM
SHERARDUM
ANGLUM
*REI HERBARIÆ PERITISSIMUM.*

# JULIUS PONTEDERA

*Celeberrimo, Sapientissimoque Viro*

# GUILIELMO SHERARDO

S. P. D.



Ctavo Kalendas Sext. Florentia nobis redditæ literæ fuerunt, afferentes te jam Italia excessisse, rectoque cursu petiisse Gallias, ut his peragratis, ac deinde non diu apud Belgas commoratus, tandem post tot annos in exoptatam patriam navigares. Hoc vero nuntium non mediocri dolore, & sollicitudine nos affecit, qui, dum apud nostros populos versabare, tuam absentiam vix sentiebamus: nunc omni jam spe sublata, ita graviter commoti sumus, ut majorem, quam usus consuetudinis nostræ postulare videretur, tristitiam, mœroremque ceperimus. Etenim nos ita a natura imbuti sumus, ut nulla alia re, quamcunque ferat fortuna, magis moveamur, quam dum ab amicis divellimur. Doluimus itaque primum, te parum, ut nobis visum est, apud nos commoratum citius deseruisse Italicam terram, quæ te, incredibili tuæ laudis studio commota, tamdiu exoptaverat. Nam, sicut magnam tui nominis opinionem acceperamus, quæ profecto inveterata est apud omnes, antequam etiam fuisses in Græciam profectus: ita postquam certum fuit te adventare, quo diutius ab eruditorum Virorum oculis peregrinatus abfueras, eo majori desiderio fama adventus tui celebrabatur. Quare maxima hominum expectatione venisti, absentibus ce-

lebritate jam notus, & ita venisti, ut adventu tuo opinionem, quæ de te concepta erat, superares. Cuicunque te videndi, te alloquendi copia facta erat, ita discedebat, ut summo tui studio, & desiderio in posterum teneretur. At si eo animo, & ea voluntate omnes bonos erga te affectos vidimus, quos neque ullo amicitiæ vinculo, neque aliqua familiaritate conjunctos scimus, quid de nobis, Sapientissime Vir, censes, quibus pro tua benignitate quam familiarissime exceptis licuit non solum exteriora illa, quæ omnibus, sed interiora ex teipso cognoscere? Noli igitur existimare, te ita leviter animo nostro inhærere, ut nulla supersit tui cura, atque solicitudo: Quam felicem Italiam dicerem, si te tantum virum tulisset! At saltem est felix, quoniam vidit, & novit; sed longe felicior esset habenda, nisi viso, & noto careret. Hæc fuit prima ob tuum discessum mœroris causa: deinde vero soliciti fuimus, cum menti nostræ obversaretur, quot pericula, & casus peregrinanti imminere soleant. Itaque, etsi nos in maximis periculis, & sæpe in ipso vitæ discrimine simus versati, te tamen absentem intuebamur, tua incommoda, tua pericula horribiliora nobis videbantur. Nondum etiam conquievit animus; quamvis in patriam te jam reversum non temere conjicere possimus, neque ante anxietatem, & timorem ponemus, quam tuis literis recreemur. Quare etiam atque etiam rogamus, ne te tam facile in posterum mari committas, aut peregrinationes suscipias, tanta rursus subiturus discrimina, casusque. Jam satis terrarum perlustrasti, satis Plantas inquisivisti, satis rem Botanicam auxisti. Tibi parta laus, & gloria est. Patriis ergo potiare commodis, & debita quiete. Nihil aliud cura, quam opus illud maximum nullis conticendum seculis. Nobis potius, quibus integræ vires, & juvenile robur inest, totum hoc peregrinandi onus relinque. Tibi postea Plantulas nostras mittemus; te

in

in dubiis consulemus ; te sedentem adhibebimus præceptorem, ex tua exhedra totam rem Botanicam orbis terrarum accipiet. At si animus otii impatiens te denuo ad navigandum solicitet, ecce Italiam. Italiam pete, spero enim te nostris votis incolumen affuturum.

Sed hæc sint ut ab amico amico scribenda ad ea veniamus, de quibus inter Botanicos agi solet, ad ea nimirum, quæ ad Plantas pertinent, nam quid aliud potius tibi scribendum seligemus, qui nihil aliud fere meditaris, quam Plantas, quæ tecum pernoctant, tecum [illegible]), tecum peregrinantur ? Præsertim cum ego quoque tuis licet longe insistens vestigiis, dum in Plantis assidue me exerceo, nullam mihi aut aptiorem, aut jucundiorem scribendi materiam invenire possim. Primum scribam de Plantis, quas in his regionibus tibi perquirere me jussisti. Quam doleo nihil tibi certi de his referre posse ! Perlustravi diligentius, ut mihi visum est, Patavinum agrum, & tamen nullas ex veteribus, & vulgatis istis agnovi. Id quidem minori, quam res posceret, diligentiæ meæ attribuerem, nisi novas invenissem. Rursus tamen insistam, & quidquid erit in me industriæ, operæ, diligentiæ, pro virili conferam, nullumque laborem prætermittam. Sed mihi crede, perdifficile est, istas Plantas reperire, quoniam angusto ( ut probabile est ; nam si late paterent, sæpe occurrerent ) circumscribuntur loco. Primum quod breve spatium peculiares Plantas ferens, nisi Geometrarum more terram demetiamur, perraro invenitur, deinde, etiamsi eveniat, ut de natali loco certi simus, quot tamen mutationes ex diuturnitate temporis, quot vicissitudines non subiverit ? Sæpe vomer inductus, aut ligo istas extirpaverit Plantas, sæpe sylvæ subcreverint, qua olim arabatur, humiliores, ac invalidas Herbas perimentes, non raro illac torrentes viam sibi fecerint, aut si locus declivis est, & tractus ille,

quem

quem quærimus, in inferiore situs regione, vel palus, vel lacus, vel alicujus fluminis cursus occupaverit. Adde illas, quæ sæpe accidunt, nimborum procellas, aquarumque copias, quæ terram de parte superiore in convalles rapiendo, Plantas quoque convellunt si in clivis, dorsisque, ut sæpissime fit, nascantur, humo destitutas in nudis cautibus perituras relinquunt, si autem inferiori loco insideant, terra, quam vehunt, alte obruunt, sepeliuntque. Adde etiam aridissima alicujus anni tempora, adde hyemes asperrimas, adde denique cætera mala, quibus non solum Plantæ, sed etiam quæcunque in terra generantur, affliguntur. Quare non mirum est, si sæpe, quæ a præteritis Botanicis describuntur Plantæ certis locis affixæ, perscrutantibus nobis non occurrant. Quid enim urbibus aut firmius, aut majus, aut notius, & tamen quot periere, nullo vestigio superstite? Cave tamen credas, me hæc ita dicere, quasi tenerem Plantas penitus ubique interire, illud enim tantummodo assero, ubi inveniuntur vel frequentissimæ, paulo post neque ullam fortasse nasci. Ego enim, qui intra Patavii mœnia Gramen illud *paniculatum prealtum*, *exile*, *palustre*, *panicula spadicea*, *arundinacea*, cujus a me exemplum habes, inveni copiosum, forsitan si uno elapso lustro Patavium revertens, ad illum locum accessero, non reperiam, siccabitur enim palustris campus, & ad culturam aliquando revocabitur, ideoque Patavii peribit hoc Gramen. Hæc porro tibi scribo alio animo, quam ut a labore refugere videar, nihil enim est mihi aut jucundius, aut gloriosius quam aliquid conferre (te præsertim jubente) ad opus illud in publicum bonum excogitatum.

Quod vero spectat ad Chamædrym illam *Montis Summani* J. B., de qua Cl. Tournefortius anceps fuit, num conveniret cum suo *Polio Pyrenaico*, *supino*, *Hederæ terrestris folio Inst.*, hæc, Vir Spectatissime, habe. Ego Alpem illam quam diligentissime perscrutatus sum, ne-

que

que tamen in Polium aliquod, aut in Chamædrym incidi foliis instructam Hederæ terrestris. Quod occurrit aliquam similitudinem præ se ferens, est illa Planta, quam titulo *Veronicæ Montis Summani, Hederæ terrestris folio* cum aliis Plantarum exemplis recipies. Hæc, si conferatur cum Bauhinianæ Chamædryos iconismo, congruet in omnibus præterquam in Floris figura. Nihilominus in hac re te monitum volumus, nostram hanc, etsi Florem Monopetalum, Rotatum, ac multifidum ferat, superiores tamen Floris partes non dispositas veluti in radios, quemadmodum in aliis Veronicis, producere, sed inæqualiter digerere Labiatum Florem mentientem. Quare non est cur miremur, si Auctor ille ut Labiatum exhibuerit, illo enim seculo non ita politiore methodo procedebant Botanici, ut exactam, & naturalem Floris formam servarent. Multa tamen adhuc in descriptione illius ab Auctore traduntur, quæ nostræ non conveniunt. Utcunque est, tu Judex eris. Differt hæc certe a *Veronica Petræa, semperviren-te* PON. . Porro natalem sedem sub Idoli jugo habet (ita celsiorem, & contra Occidentalem regionem situm verticem Summani vocant, in cujus apice sacelli Plutoni Summano sacri locus, quo superstitiosa antiquitas mortuorum cineres defferebat, adhuc ostenditur, unde nomen Alpi impositum), quod imminet a Septentrione prato cuidam prono, cui nomen *Prato de la Vecchia*. Ibidem nascitur inter saxorum rimas altitudine quinque digitorum. Cætera ab exemplo cognosces. Et hæc satis sint de istis perquirendis Plantis, de quibus fortasse alias certiora rescribam.

Transeo nunc ad nostras, quæ cunctæ cum his nostris literis tibi reddentur eas, si tibi, ut speramus, non prorsus indignæ tanto honore videbuntur, tuo Pinaci insere. Auguramur enim illum (neque temere, ac vana spe nixi) immortalem fore, quare & illæ per te perpetuitatem adepturæ esse videntur, & nos etiam

( li-

( libere fatebimur ) immortalitatem quandam consequuturi sumus, & quod jucundissimum est, tecum vivemus. Interea tamen quid nobis agendum de illis judicemus, accipe: consiliumque tuum pro tua erga nos humanitate, ut petimus, ita rescribere ne recuses. Statutum a nobis est hasce Plantas Tabulis illustratas in lucem quam primum emittere. Sed cum nonnullæ sint, quarum discrimina in ære signari nequeunt, cogitamus omnes compendiario libello complexas antea exhibere: in quo illas, quæ in Tabulas venturæ sunt, ab illis quas supprimendas judicamus, separabimus. Hæc sunt, quæ de Plantulis nostris tibi scribenda habemus: interim tuus qui animus, qui sensus, quæ consilia sint, nobis per literas significes.

Porro nostris adjiciemus, seorsim tamen, nonnullas alias, præsertim illas, quæ ab amico nostro Antonio Tita recensentur in Horti Celeberrimi Mauroceni catalogo. Has namque, cum hoc anno, dum Feltrensium montium juga peragrabam, collegerim, statui iconibus illustrare; tum quod specie digna visæ sunt: tum etiam quod a Botanicis præsertim Italicis desiderari intelligo. Itaque Tabulas in duas partes dividam, in prima nostræ collocabuntur, in altera hæ Horti Mauroceni, quas Tournefortiana methodo ( si tuam nondum in publicum emiseris ) recensebo. Amicus namque noster de hac re non laboravit, sed Casp. Bauhinum fere secutus est, ideo mirandum non est, si Tournefortiano ordini, tuoque politiori non recte congruant, facile enim est labi in id, quod non declinatur. Ego itaque, ut nostri seculi auribus satisfaciam, pro *Carduo alpino, spinosissimo, polycephalo, foliis in summitate albicantibus, & albo flore Hor. Maur.* dicam *Cnicum alpinum, humile, spinosum, flore pallente.* Etenim radice plurima, crassa, & lignosa natus sesquipedem surgit, foliis prædensus, deinde in summitate plura capitula gignit, dense nascentia, quæ foliis amplis, acutis, ac

albi-

albidis circumplectitur, ut de Cnico sancitum est. Ita quoque *Astragalum alpinum, saxatilem, lignosum, Ciceris glabro folio, flore purpurascente, semine Trifolii Americani* Hor. Maur. nominabo *Hedisarum alpinum, Viciæ sepium folio, floribus rubellis, in capitulum dense nascentibus*, quippe radice lignosa, crassa, & pedali in rupibus ortus ad sesquipalmarem altitudinem tollitur, producens flosculos plurimos languide purpureos summo petiolo insidentes, quorum pistilla crescunt in siliquas articulosas, undulatas, in singulis articulis semine reniformi fœtas. Quæ num in Astragali genus cadant, an potius in Hedisari, ineptissimus essem, si hæc tibi scriberem. Idem dicendum est de illa *an Saxifraga petræa, flore purpureo*, quam non sine ratione apud ipsum auctorem ambiguam, incertamque vides, est namque, ut mihi compertum, & exploratum est, ad Lychnidem referenda, edit enim Florem Caryophyllæum ex quinque petalis compositum de calyce tubulato exeuntibus, quorum singula parvo alio petalo exornata summo pistillo quasi corolla quædam circumstant, pistillum mox conicum factum apice dehiscit, & unicam pandit capsulam, in qua semina foventur: pistillum porro una cum fructu ipso calyce undique obtegitur. Quæ omnia cum Lychnide convenire palam est, quamobrem ita illam ego describam *Lychnidem alpinam, Bellidis folio, minimam, flore purpurascente*. Ex his itaque præclare intelliges & quid de cæteris in itinerario amici nostri detectis Plantis sentiam, quibus addam nonnullas alias, quæ sine honore vagantur, neque adhuc propriam sedem, dignitatemque apud Botanicos obtinuere. Auspicabor autem ab Arbore illa, cujus fructum in tabella pictum accipies, ramulum floridum jam dedimus. Hæc vero *producit Florem Apetalum, seu Stamineum nascentem ex fundo embryonis, qui embryo præcurrit Florem, mox crescit in fructum carnosum, edulem, boræum, subrotundum, sed angulosum, in quaterna, ut plu-*

 *rimum,*

*rimum, loculamenta divisum, neque ullo* ( quod sciam ) *semine fœta*. Mihi videtur hæc esse Malus illa a Joanne Bauhino recensita, & a Chabræo, nota quoque Gesnero in appendice Horti, & Camerario similiter. De hac intellexisse Theophrastum *lib. 3. de causis Plantarum cap. 23.* affirmant. Verum, quo innixi fundamento hoc dictitent, non video, siquidem Theophrastus ibidem hæc tantum habet : *Nam & aqua ferventi, cum quædam rigantur, meliorescunt, ut Malus verna, & Myrtus.* Quis autem non percipit nomine *Mali vernæ* significari *Malum pumilam, quæ potius frutex, quam arbor* C. B *Pin.*, quæ ante omnes Malos sua poma perfecta fert ( ideo a Plinio præcocia dicta ) in Italia quidem prima æstate, at in Græcia, quæ calidiori subjecta plagæ est, & omnes fructus celerius ad maturitatem perducit, postremo vere? Hæc vero nostra horæa est tantum dicenda, cujus fructus circa Kalendas Sextiles solum maturitatem habet. At, inquient, Theophrastus memoriæ prodidit, Malum illam vernam semina minime ferre, ideo non de pumila, quæ semen gignit, sed de hac, cujus fructus ex tua descriptione ἀπύρηνος nascitur, intellexit. Hæc ratio, ut mea fert opinio, in causa fuit, cur Auctores scripserint, Arborem hanc teneri in Malo verna Theophrasti. Sed vide incredibilem hallucinationem. Ille Philosophus scripsit hoc tantum de Myrto quadam, quæ fortuito ( ut ipse loquitur ) poma sine nucleo ferebat : de Malo autem nequaquam : *Nam*, ait, *& aqua ferventi* ( repeto superius recensita, ut luculentius totam rem cognoscere possis ) *cum quædam rigantur, meliorescunt, ut Malus verna, & Myrtus. Hæc enim* ( Myrtus nimirum ) *sine nucleo redditur, ut quidam affirmant. Deprehensum idem est fortuito, cum Myrtus juxta balneum staret neglecta. Ab hac enim vacua nucleo reddita semina petentes ferebant : atque ita genus hujusmodi Athenis esse inceperat. Sed hæc, quoniam similitudinis aliquid proferunt, ad fidem rei propositæ facien-*

*faciendam retulimus*. Porro gravius lapsus est Casp. Bauhinus, qui hanc Plantam a Gesnero, & Camerario commemoratam in duas species in Pinace 433 divisit: prima est *Malus sine semine interius in fructu* CAMER., altera *Malus non florens, fructicans tamen* GESNER. Credidit namque Malum sine semine interius in fructu *Camerarii* diversam esse a Malo non florente, & fruticante *Gesneri*. Quæ Plantæ geminatio in errorem adduxit etiam Joannem Rajum celeberrimum tuæ inclytæ Nationis Botanicum, hic enim utramque sustulit, cum dixerit, *quæ duæ species sunt degeneres, seu monstrosæ Histor.* 1446. Vide igitur, Cl. Vir, quam obscura, & incerta sit hæc Planta, quantam caliginem, quantas tenebras Botanici huic offuderint, quocirca non sine ratione iconibus illustrandam suscipimus. Differt porro ab omnibus Pomiferis Floris forma, a Malis cum pumilis, tum illa nostra ( cujus ramulum mittimus ) *Malo boræa, quæ pumila vulgo, instar Arboris* etiam fructu sine semine, & quadrifariam ( ut hactenus observavi) distincto, qui in illis in quinos loculos aperitur, ad hoc & maturitatis tempore, trigesimo enim ferme die ab illorum vindemia perfectus est. His de causis adducimur ad novum genus faciendum, & novo nomine appellandum, priscos, & recentiores imitantes Botanicos. Si licuit illis Euphorbium, Artemisiam, Gentianam, Lysimachiam, si licuit Tournefortio, & aliis nova nomina novis generibus fingere, cur nobis negetur, qui conamur Arborem hanc e tanta errorum nocte eripere, atque in lucem proferre? Quod vero huic nomen impositurus sim, alias tibi per literas declarabo nunc tamen hæc scito, me tam huic generi, quam tertio, quod infra scribam, a Cl. Viris Italici nominis de Re Botanica benemerentibus desumpturum nomina. Porro a quonam auspicaturus sim, facile, me etiam tacente, te intellecturum puto. Is enim est, cui ob immortalia beneficia in Artem nostram

Z 2 colla-

collata plurimum universi Botanici debemus. Interea vero, dum Tabulæ nostræ conficiuntur, hæc Arbor a nobis dicetur ἀνωνυμοδενδρον, tertium autem genus ψιλα-δοχοστυλοθεμον. Quod si cognovero a te citius tuam universalem Plantarum Historiam, quam a me has Tabulas, absolutum iri, statim proprium nomen, quo hasce Plantas in Pinacem referas, tibi significabo. Interim hoc supposititio utere. Secundo autem, & quarto generi jam nomen imposui, de quorum primo nunc verba faciam, deinde & reliqua recensebo.

Secundum itaque constitui de illa Planta, quæ nomine Valerianellæ ambriferæ, sive Cupressi Africanæ hic colitur. Hanc tu ipse hoc anno in Horto Mauroceno vidisti, floremque observasti, fructus autem nondum perfectus aderat. Nos vero post tuum discessum reliquas ejus partes explorandas suscepimus. de flore nihil addam amplius, notus est tibi, & Valerianellæ Flori similis, Monopetalus, Infundibuliformis, & per oras incisus. At fructus longe diversus. Cum enim quinque sint Valerianellæ fructus figuræ, ab omnibus magno dissimilitudinis intervallo removetur. Non ex duabus componitur partibus, quarum utraque sibi mutuo accedendo, semenque complectendo, fructum non dissimilem lanceæ cuspidi constituat, neque vero est ovatus, umbilicatur, aut tricuspis, unicum ferens semen, distat etiam quam maxime tum ab illo fructu, qui unicum producit semen, elegans, umbilicatum, umbelicis pelviformibus, tum ab altero (qui omnium longissimus habetur) fungoso, lunato, unicum pariter gignente semen. Quid plura? Non in tres hamos desinit, neque semen inflexum, aut incurvum producit. Verum qua forma præditus sit, tibi hic strictim describemus, nam perdifficile erit, ut ex ramulo, quem tibi mittimus, naturalem formam habeas, cum partes inarescendo strigosiores fiant. Hic igitur de calyce fit, magnitudine instar grani Milii,

& in

& in quatuor angulos ruditer dispositus, inde quadrifariam aperitur, intus octo semina fovens, oblonga, ac nigricantia, quæ bina & bina, quemadmodum in umbelliferis, sibi mutuo adhærescunt hinc gibba, hinc excavata. Ex quibus manifestum est quam longissime distare a Valerianella: cui aliquid amplius accesserit, si ordinis foliorum, quibus ad constituendum Valerianellæ genus multum tribuitur, habebitur ratio, ubi enim folia bifida seu dichotoma? Ubi bina ex adverso? Ergo nos (quoniam eadem de causa a quocunque alio genere diversa est) sedem assignabimus novam, & novum imponemus nomen, diceinusque *Tournefortiam* sub eo titulo. *Tournefortia est genus Plantæ producens Florem Monopetalum, Infundibuliformem, calyci insidentem, & leviter per oras incisum, cujus calyx abit in fructum subrotundum, angulosum, octo seminibus fœtum, oblongis, binis & binis dispositis.* A nostro immortali Viro Josepho P. Tournefortio nomen imposui, cujus in Botanicem beneficia tot & tanta sunt, ut nulla unquam dies, nulla temporis vetustas, non casus ullus, aut vicissitudo futura sit, quæ tantorum meritorum magnitudinem imminuat, & hujus celeberrimi Auctoris nomen, memoriamque ex Botanicorum animis deleat. Etenim, si Plantarum numerum, quas maximis laboribus, tot regna, & provincias perscrutando, detexit, spectemus, quicum conferendus sit, inveniemus neminem: si vero ordo, quo eas, & reliquas fere omnes ab aliis recensitas disposuit, attendendus sit, quanta ingenii præstantia, quanta Florum, quanta fructuum, seminumque peritia sit digestus, incredibili ob tam eximium, & singulare Viri acumen admiratione rapimur, ut non humana mente, sed afflatu quodam quasi divino ea omnia præstitisse videatur. Ego igitur eo honore, studio, observantia, cultu tanti Viri memoriam prosequor, ut cum innumerabilia sint, quæ a D. Opt. Max. acceperim beneficia, ac munera, ob illud

lud etiam plurimum me debere fatear, quod hac ætate, postquam tantum Botanices lumen affulserit, ut nascerer, constituerit. Nam, siquod est in me Rei Botanicæ studium, quod omne in illam pro mea virili contulisse non inficior, siqua in perquirendis Plantis exercitatio, siquid profectûs hinc habeo, quod sentio quam sit exiguum: id omne Tournefortianæ methodo debere perlibenter agnosco. Ipsa mihi princeps extitit, ut ad hos tuos, Sapientissime Vir, præclaros labores animum adjicerem, ipsa viam munivit, ipsa rudem, & inexpertum per montes, Alpesque duxit, ipse denique effecit, ut tu Botanicorum Princeps tua amicitia indignum pro tua humanitate non judicares. Quæ quidem cumulatissimis beneficiis me sibi revinciet, si præstiterit, ut me in Botanicorum numerum referas, tunc enim, ut poetarum more dicam,

*Sublimi feriam Sidera vertice.*

Sed de his rebus satis. Ad Tabulas redeo.

Duobus ergo illis generibus constitutis, ad tertium me conferam, ad ψιλοχρυσάνθεμον nempe, quo temporario nomine intelligo *Chrysanthemum Africanum, bacciferum, platyphyllum*, quod ego a Chrysanthemi genere alienum judico. Verum quibus rationibus, tibi scribere supervacuum non erit. Nosti, ut qui optime, Chrysanthemi genus & calycem hemisphæricum, squamosumque ferre, & semina vel tenuia, vel acuta modo angulis, modo sulculis inæqualia, nullis tamen pappis instructa. At in Chrysanthemo Africano, si illas calycis squamas excipias, hæc reliqua desiderantur. Subsunt namque singulis semiflosculis (qui quinque ut plurimum) totidem baccæ officulo fœtæ nucleum seu semen ejusdem formæ gignente. Verum hic haud perpetuus ordo servatur. sæpe quatuor tantum surgunt baccæ, vel tres, modo duæ, aliquando una, & etiam (quod rato contingit, & semel vidi)

sex.

sex. Qua de re non est cur in admirationem rapiamur, cum hujusmodi vicissitudines in aliis etiam Plantis persæpe occurrant, præsertim cum hoc [illegible] ex calidissima provincia in has regiones invectum sit, ubi varium semper & mutabile cœlum, inæqualis calor, irruentis frigoris importunitas, repentinæ, & leves pluviæ magnos subsequentes ardores, quæ alimenti motum aut accelerando, aut cohibendo, hæc, & illa omnia mala inferre possunt, quibus rem rusticam affligi conqueruntur coloni. Sæpe etiam evenit, ut fructus ab illo numero deficiat, vel quod nimia sit in viis, utriculisque angustia aliqua, vel obliquitas, aut e contrario facilitas, vel laxitas, quæ impediant, ne humor in singulas partes distribuatur, easque æqualiter impleat, expliceque, vel quod in embryone impedimentum reperiatur, modo nimirum partium adhæsio, & ad humorem admittendum resistentia, modo positus ipse, qui prohibeat, ne suum unicuique deferatur. Quod autem aliquando sex inveniantur baccæ, tunc id contingere arbitror, quando totidem etiam præcedant semiflosculi.

His, & similibus aliis Plantis sedes in secundis Tabulis dabitur, quæ in Botanicorum monumentis aut non extant, aut non recte suis generibus injunguntur.

Sed forsitan requiris, ut tibi aliquid certi referam de illa Planta Horti Mauroceni *Heliotropio Africano, frutescente, Antirrhini minoribus foliis, flore albo*. Ego vero post tuum discessum, ut flores primum apparuere, ad eos invisendos me contuli, statimque animadverti, perperam Heliotropio nomen impositum. Hiabat namque flosculus unico petalo constans ex lato fundo in os expansum, & latum, quemadmodum Gallium producit (cujus flori non solum similis, sed & æqualis), calyci insidebat trifido, & crassiusculo. Pistillum autem in fructum subcrescit referentem formam trianguli Isosceles, sed inversi, cujus basis non ex recta linea, sed

sed ab introrsum curvata efformetur. Dividitur porro in duo loculamenta, quorum singula unico semine fœta reperiuntur oblongo, & anguloso. Hoc vero semen in his regionibus nunquam maturitatem acquirit: ita sæpe & fructus in unicam tantum capsulam crescit, altera compressa, & informi. Flores, & fructus nascuntur eodem ordine, ac in *Herniaria glabra* J. B. Ex his liquet, hanc Plantam non solum differre ab Heliotropii genere, sed etiam a quocunque alio, quare novum creandum esse judico: idcirco veniam aliquam mihi dabis, si e tuo nomine *Sherardiam* dixero, atque in Tabulas retulero sub hac descriptione *Sherardia est genus Plantæ producens Florem Monopetalum, Campaniformem proprie dictum, cujus pistillum efformatur in fructum triangularem, in duo loculamenta divisum, semine fœta oblongo, & anguloso.*

Quod autem novi, quæ sit natura tua, & qui animus ab hujuscemodi rebus alienus; ideo etiam atque etiam rogo, ut amicitiæ nostræ hoc dones, genusque hoc Plantæ, quo nemine ego princeps appellavi, in tuum Pinacem referas, non enim fas est a suis sedibus deturbare genera, cum his, quo deferas, aptiorem locum haud reperias. Quod si feceris, pergratum erit non solum mihi, sed & cæteris Botanicis. sin minus, quod minime dubito, dabo operam, ut te istius *susceptionis* pœniteat, notavi enim alias Plantas, quibus te adjungam, & per plura genera vocabo, si te ab hoc uno gravatum sensero.

Exposui tibi breviter etiam de secundis Tabulis sententiam nostram, quibus ad calcem addam opusculum, quod in manibus est, *de Cicada*, Fabium Columnam præstantissimum virum inter cæteros imitatus, qui nonnullorum animalium historias suis Plantis adjecit. Porro hoc animalculum, quo nihil celebrius, & illustrius apud priscos, & recentiores Physicos invenitur, jacet adhuc in hac Philosophiæ luce multis te-

nebris

nebris obvolutum. Nam, etsi præclaris inventis posterior ætas plurimas antiquorum sententias, quas de cæteris animantibus constituerunt, labefactaverit, in Cicada tamen non solum nihil profecit, quin etiam, siquid minus a verisimili abhorrens ab illis fuerit traditum, obscurius reddidit, incertiusque. Causa hujusce rei, si quæris, ipsamet Cicada fuit, primum quod nunquam eam deprehenderunt, dum nidum excavat, & ova deponit, nam simul ac aliquis accedit, antequam conspiciatur, evolat, deinde in anatome instituenda, ut plurimum difficultatis ineft; ita prænotio quædam ipsius naturæ requiritur, ego quidem non prius germanum partium usum adeptus sum, & si innumerabiles secuerim, quam in arvis Cicadarum mores fuerim perscrutatus. Adde plerosque ab hoc laborioso philosophandi genere abhorrere, nescientes illos tantum posse Cicadæ naturam assequi, qui eam assidue fuerit insecutus, dum illa, ut ait Hesiodus,

Καί τε πανημέριός τε, καὶ ἠῷος χέει αὐδήν,
Ἴδει ἐν αἰνοτάτῳ, ὁπότε χρόα Σείριος ἄζει. [illegible]

At nobis hæc omnia Plantarum perquisitio facillima effecit. Quare universalem Cicadæ historiam suscipiam. interim dabo operam, quoniam cognovi te hujusmodi etiam rebus delectari, ut hic compendiariam descriptionem habeas.

Primum autem Cicadas in duo genera dividam, quod & Aristoteles fecerat *lib.* v. *Hist. Anim. cap.* xxv. *τῶν δὲ τεττίγων γένη μέν ἐστι δύο· οἱ μὲν μικροί, οἱ πρῶτοι φαίνονται, καὶ τελευταῖοι ἀπόλλυνται· οἱ δὲ μεγάλοι, οἱ ᾄδοντες, ὕστεροί τε γίγνονται, καὶ πρότεροι ἀπόλλυνται.* quem & Ulysses Aldrovandus secutus est in *lib.* v., quem inscripsit de *animalibus insectis*. Ego quoque, cum alias non noverim, in majores, & minores distribuam, majores autem, quas Philosophus *ἀχέτας* vocat, primum recensebo deinde minores *τεττιγόνιας* dictas, quibus nominibus etiam ego utar. Majorum duæ species sunt, mas

nempe, & fœmina, minorum totidem. In utroque genere mares tantum fritinniunt, fœminis mutis, quoniam hæ musicis organis destituuntur. Quod autem Aristoteles de tettigoniis maribus dixerit *ᾄδουσι δὲ μᾶλλον καὶ τούτων διῃρημένοι*, *quarum*, nempe, *quæ divisuram habent, aliquantulum cantillant* ( ideo tettigoniarum nomine aliquando etiam fœminas intelligi, ut *lib.* IV. *cap.* VII. *τὰ δὲ τεττιγόνια, μὴ ἔχειν* ( ὑμένα nimirum φανερόν ) *fœminæ* sive, ut a Gaza vertitur, *cicadastræ non habent*, ( membranam nempe perspicuam ) minime verum cognovi; æque enim sonoræ sunt hæ tettigoniæ, ac sunt achetæ, habita corporis ratione. Quæ autem sint hæc organa, quibus Cicadæ strepunt, nondum ita clare apud auctores traditum fuit, ut quid sit intelligeretur. Afferunt alii Cicadarum cantum pendere ex alarum motu, quo percussus aer vibrationes illas, & tremores sensibus nostris communicet, ut ille *πτερύγων δ' ὑποκατακχέει λιγυρὴν ἀοιδήν*· & alius: *ὁ τέττιξ ὑπὸ ταῖς πτέρυξι τρίβων ἑαυτὸν ἦχον ἀποτελεῖ*. Quæ sententia vulgo ab hominibus tenetur, deceptis similitudine Gryllorum, & quarundam Locustarum. Alios autem affirmantes audivi *τετίξειν* Cicadas, dum infimus venter inæquali velocitate modo accedit, modo recedit a pectore. Cæterum, quicunque diligentius Cicadarum structuram contemplati sunt, hæc *τερετίσματα* ad membranam, qua mares in utroque genere instruuntur, referunt. Aristoteles, ex quo reliqui excerpserunt, ita *lib.* IV. *Hist. Anim. cap.* VII. loquitur *καὶ τῶν τεττίγων αἱ μὲν κεχαλασμένας ἔχουσιν ὑπὸ τὸ ὑπόζωμα διῃρημένα, ὥσθ' ἔχειν ὑμένα φανερόν· τὰ δὲ τεττιγόνια, μὴ ἔχειν.* *Sed & quæ canoræ* ( vertit Julius Scaliger ) *appellantur, ad præcincturæ locum incisæ sunt, membranamque ejusmodi habent, ut oculis perspici possit. Cicadastræ autem non*, & *cap.* IX. *τὰ δὲ ᾄδειν λέγεται, οἷον οἱ τέττιγες· πάντα δὲ ταῦτα ψοφεῖ τῷ ὑμένι, ὑπὸ τὸ ζῶμα, ὅσοις διῄρηται, οἷον τὸ τῶν τεττίγων γένος τῇ τρίψει τοῦ πνεύματος.* *Partim*, nempe, *canere, ut Cicadæ: quæ*

omnia

*omnia ſonum cient membrana, quæ obtenta eſt ad præcinctu-ræ inciſuram, quemadmodum Cicada attritu ſpiritus.* Libro autem v. *cap.* XXV. ὁμοίως δὲ ἔτι τῶν μικρῶν, καὶ ἐν τοῖς μεγάλοις, αἱ μὲν διῃρημέναι εἰσὶ τὸ ὑπόζωμα, οἱ ᾄδοντες· αἱ δὲ ἀδιαίρετον ἔχοντες, οὐκ ᾄδουσι, hoc eſt: *quæ canunt ſive e majorum, ſive e minorum genere ſunt, ad præcinctum ſecturam habent: quibus autem continua ea pars, ne non canunt.* Hæc fere ſunt, quæ de hoc organo Ariſtoteles ſcripta reliquit ex quibus oſtendam verum ſonitus inſtrumentum ignoraſſe, primum quod affirmat unam eſſe membranam, ſunt enim in ſingulis Cicadis geminæ hinc & inde ſitæ ad latera, deinde quod φανερὸν appellat hunc ὑμένα *perſpicuum* nimirum, *apparens*, & ( interprete Scaligero ) *ut oculis perſpici poſſit*. Quod minime ita ſe habet, nam in achetis ( de quibus potiſſimum intelligit Philoſophus, quoniam tettigomas vix inter canoras Cicadas recipit, ut ſupra innuimus ) ſquamis obteguntur illæ membranæ, neque apparent, niſi deſquamentur, in tettigoniis tantum nudæ ſunt. Poſtremo quod hanc membranam ſub ὑποζώματι collocat, & aliis Inſectis concedit πάσχε δὲ τοῦτο φύσει τοῦ ὑμένος ὑπὸ τὸ ζῶμα, ὅταν διηθῆται, ἔσω τὸ τῶν πτερύγων γένος τῇ τρίψει τοῦ πνεύματος; ego enim hanc ſive potius has ſemper in thorace reperi, & in ſolis Cicadis. Quid vero nomine ὑμένος intelligat Ariſtoteles iconibus explicabo interea deſcriptionem Ulyſſis Aldrovandi tibi ſubjiciam. *Nam* ( ait *lib.* II. *de Inſect. cap.* XXII. de Cicada ) *ex diligenti utriuſque ſexus inſpectione cognovi, mares omnes membranam habere exterius* ( en exterius ) *circa præcinctum in medium biſidam, cujus figura fructui reſpondet Thlaſpi parvi Hieraſoli a Lobelio depicti, hacque membrana fœminas carere: hoc ruſticis notum eſt, qui etiam omnes affirmarunt Cicadas tali membrana deſtitutas ſilere; canere vero, quæ ea ſunt prædita.* Idem repetit Joannes Jonſtonus *lib.* 2. *cap.* 7. *de Inſect.*, ſed planius. *Membranulæ*, ait, *ſub flabellis* ( *ſic vocant operimenta illa duo poſt*

*postrema crura ventri adhærentia*) *reverberationi id ascribendum*. Hæc autem, quam referunt membranam, *πτερίσμασι* minime inservit, nam, ea pertusa, adhuc fritinnit Cicada laceratis autem nostris, muta evadit. Hæc est de Cicadarum cantu sententia, reliqui autem sive Philosophi, sive Poëtæ idem fere sentiunt, ut Ælianus *lib.* 1. *de Animal.*: *οἱ δὲ τέττιγες κατὰ τὴν ἰξὺν λαλοῦσι*. Hunc sequitur Phile in *lib. de Animal. proprietatibus*, dum canit

*Τῆς ἄρσενος δὲ τῆς γονῆς τῶν τεττίγων*
*Ποιεῖ ψοφώδης ἡ μαγὰς τῆς ἰξύος.*

Joachimus etiam Camerarius ( ut unum e nostris quoque memorem ) in libro, qui incipit *ἀεὶ τέττιγες*, ita loquitur

*Τμῆ δὲ λεπτὸς ὑπ' αὐδῆς ὄργανον.*

Porro ego has membranas accuratius in Tabulis delineandas curabo, & *tympana* dicam non solum ex certa partium similitudine, sed etiam ex non diverso usu, quemadmodum enim militum animi ad dimicandum ferocius bellicis illis instrumentis accenduntur, ita Cicadæ, cum

*Irritata tument loca semine, fitque voluntas*
*Ejicere id, quo se contendit dira libido*,

concussionibus illis majorem concipiunt rabiem, sæviuntque avidius in libidinem. Fœminæ autem, quæ his organis privantur, ne segniores ad ineundam venerem conveniant, marium cantu solicitantur, & rapiuntur etiam eo, quo loca stimulantur, interno furore. Etenim ego arbitror nulla alia de causa institutum fuisse hoc organum in Cicadis, quam ut esset certum signum, quo convenirent ad generationis opus. In cæteris fere animantibus natura huic potissimum intenta aliquid non dissimile posuit. Mares Gryllorum, & quarundam Locustarum fœmellas invitant pinnarum stridore, pinnarum quoque plausu Bombyces venerem ineunt, at mirabilius est, quod in Cicindelis non ita

pri-

pridem animadverti. Hæ non cantu, non pinnarum attritu congregantur, sed luminis vibratione. Hoc autem observandum sors mihi ultro obtulit, dum enim fœmellas noctu colligerem, usque manus volæ impositis, lucidam partem inspicerem, ecce mas lumine earum invitatus advolavit, *optatosque dedit amplexus*, hoc autem remoto, alii devenere. Quod denique sæpissime evenit, ut experirer. Neque hoc sine ratione factum, nam cum fœminæ pinnis destituantur, ideoque terrestres sint, mares autem volucres, & per aerem vagentur; non ita facile ad conjugium convocarentur, nisi ab utraque parte signum daretur. Quare lumen inventum est mirabili naturæ artificio, quo nihil longius, aut clarius a nocturnis animalculis percipi potuisset. Eadem fortasse est Cucuji Indi natura, qui quodammodo ad Cicindelarum genus revocari potest, nam & ipsum noctu lucere gravissimorum scriptorum monumenta testantur. Cur autem ad prolatam facem conveniant Cucuji, ancipites video historiæ naturalis auctores. Cucuji autem naturam Petrus Martyr refert: *Primo*, ait, *noctis crepusculo exit domo Cucujorum indigus, titionem manu gestat ignitum, tumulum, unde queat a Cucujis prospici, adscendit vicinum, elatis vocibus Cucujum appellando, circumrotat titionem, Cucuje, Cucuje inclamitando, aërem obtundit. Ad vocantis reboatum simplices putant nonnulli Cucujos eo delectatos strepitu convolare. veniunt namque properantes, & præcipiti accessu &c.*. Ego suspicor ad lumen convenire ea ratione, qua ad Cicindelam Cicindelæ convocantur. Et hæc obiter dicta sint de usu, cui inservire arbitror Cicadarum cantum, & possem aliquid non absimile ostendere in avibus, in animalibus, quæ perfecta dicuntur, & etiam in serpentibus, quod ob eandem causam his omnibus natura ingeneravit: sed jam hæc satis.

Exhibebimus deinde in Tabulis generationis instrumenta, quibus in utroque genere, tam mas, quam fœmina

In-

instruitur. Postea ad fœmellam jam fœtam me convertam. Hanc enim, quamvis natura ei armonica illa negaverit tympana, majori tamen, atque alio eximio veluti munere redintegravit, addendo prudens ingenium, ac solertiam quam pro specie corporis majorem. Abdidit namque circa medium abdomen aculeum quemdam pollicis quadrantem longum, ac in vagina quadam recondidit, in sulculum excavata, atque pube tenus extensa. Teres quodammodo hic aculeus est, firmus, serrisque in fine instructus, quo nullum unquam aptius ad terebrandum instrumentum ars excogitavit, huic interior pars pervia, & canaliculata est, cujus oscillum externum circa serras terminatur, internum in utero aperitur.

Ut primum igitur genitale semen Cicada suscepit, circumspicere incipit, locum, sedemque inquirens, quibus ova jam vivida concredat, ac deponat. Invento autem arido cujuscunque arbusculi ligno, educta terebella, statim operi accingitur. Terebrat lignum, ac nidum excavat, tantumque descendit, quantum eminet extra ventrem aculeus. Magna deinde fit in abdomine vis, & comprimentibus undique musculis, extruduntur ova per canaliculum intra foramen, quæ forma teretia sunt, utrinque acuminata, ac candida. Disponuntur propinqua, sibi mutuo parallela, sed ad diametrum ligni obliqua, numero autem in singulis alveolis octena, vel novena, vel decena, aut plura, pauciorave. Linitur postremo gummitio quodam succo loculus, atque sic contra Cœli inclementiam munitur. Primo ita perfecto nido, pergit ad secundum, mox ad tertium, ad quartum, donec effœta reddatur. Singuli autem nidi sua obteguntur gummitione. Ovorum autem fecundissimæ sunt, totumque ovis repletum imum ventrem ferunt, ideoque natura, ut capaciorem ad continenda tot ova haberent, ad præcinctutæ locum eas non divisit, ut mares. Porro singulæ ova gignunt mo-

modo quingenta, modo sexcenta, & aliquando a nobis repertæ sunt, quæ septingenta continerent.

Porro hæc omnia, quæ hic tibi compendiario scribimus, fusius explanabimus in Tabulis, subjicientes harum omnium partium iconismos, nam si προτεταγμένον organum incertum esse ostendi, & anceps apud Physicos, incertiora mihi videntur, ac pleraque etiam falsa, quæ de Cicadarum generatione habemus. Siquidem Aristoteles (quem video non mediocriter in Cicadæ historia versatum, quoniam probabiliora, quam cæteri, tradit) commemorat & ipse aculeum, quo Cicadas locum fœturæ excavare docet, dum *lib. v. cap. xxv.* ait τίκτουσι δ' ἐν ἀργοῖς, τρυπῶσαι ᾧ ἔχουσιν ὄπισθεν ὀξεῖ καθάπερ, καὶ οἱ ἀττέλαβοι· *pariunt* (ut interpretatur Scaliger) *in arvis cessantibus, sicut & Bruci. quorum partus in ipsis item fit perforantes mucrone illo, quem ad clunes habent*. Verum quis sit hic mucro, sive asperitas peracuta (ut vertit Gaza), quam illis verbis ᾧ ἔχουσιν ὄπισθεν ὀξεῖ describit, nescio: noster detectus aculeus mediusfidius non erit, qui in abdominis regione collocatur. hæc Philosophi asperitas ὄπισθεν ponitur, quod verbum Plinius *lib. xi. Nat. Hist. cap. xxvi*, dum locum illum Aristotelis excerpit, exponit *in dorso* dicens: *Asperitas præacuta in dorso, qua excavant fœturæ locum in terra*. Theodorus quoque Gaza, qui interpretis fungitur munere, eandem Aristotelis sententiam iisdem fere verbis latinæ consuetudini reddit: *Pariunt*, inquit, *in arvis cessantibus excavantes asperitate præacuta, quam parte habent posteriore: quomodo Bruci etiam solo ejusmodi pariunt*. Quare facile adducor, ut assentiar Julio Scaligero, qui mucronem hunc ad *clunes* situm explicat; addens: *cujusmodi rostrum habent Gammari non absimilem mucronem ad Clunes habent Cicadæ*. Porro ad Clunes extremitas est prælongior in fœminis, quam in maribus, quæ & nonnullis Brucis communis est. De hac, nisi intellexerit Philosophus, falso addidit illud καθάπερ,

καὶ

ἢ οἱ ἀττέλαβοι· ego enim nunquam vidi, aut legi non solum in Brucis, sed neque in quocunque alio Insecto instrumentum simile Cicadarum aculeo, nisi in Musca *de' Rosai* a Cl. Viro Antonio Vallisnerio primo detecta, quam Aristoteles ignoravit. Quod vero ad fœturæ locum spectat, vidit & ipse Philosophus in Arundinibus, quæ ad pedandas vites adhibentur, & etiam in Scillarum caulibus Cicadarum ova deposita, nam in eodem *lib.* v. & *cap.* eodem xxv. addidit ἐντίκτουσι δὲ καὶ ἐν τοῖς καλάμοις, ἐν οἷς ἱστᾶσι τὰς ἀμπέλους, διατρυπῶντες τοὺς καλάμους· καὶ ἐν τοῖς τῆς σκίλλης καυλοῖς. Hoc est *pariunt etiam in Arundinibus, quibus pedantur vites, excavantes in Arundinibus fœturæ locum: & in Scillæ caulibus*. Sed cum a principio statuisset, Cicadas in arvis cessantibus parere τίκτουσι δὲ ἐν τοῖς ἀργοῖς, statim adjecit, hujusmodi fœtus, quos nempe in Arundinibus, & in Scillæ caulibus deponunt, in terram decidere: ταῦτα δὲ τὰ κυήματα καταῤῥεῖ εἰς τὴν γῆν. Quod utrumque est falsum, neque enim terræ committuntur ova, neque, quæ lignis, aut Arundinibus (nam & ego in his Cicadarum fœtus inveni, sed perraro, quippe plerumque virgulta haud inania seliguntur) in terram dilabuntur. Quin etiam in his & nascuntur Cicadæ, & tota hyeme permanent. Adde a natura hoc cautum fuisse, quæ in Cicadis ita aculei instituit articulationem, ut nequirent non solum sursum accedendo, ipsum erigere ad excavandum nidum, sed neque etiam ad horizontem flectere, idcirco coguntur deorsum demittendo fœturæ terebrare alveolum. Insuper quid sibi volunt gumminitiones illæ? His certe prohibetur ne sursum reptando vermiculus, aperto ostiolo, nido egrediatur. Hæc fere sunt a Philosopho de Cicadarum generatione tradita, quæ plana & aperta reddemus fusius in Tabulis pertractantes. Quæ autem ab aliis Philosophis dicuntur aut eadem sunt, aut deteriora, ut illa Baldi Angeli *lib.* viii. *cap.* xii.: *Ego vero*, inquit, *testari veraciter*

*ter possum, quod in terra non proscissa, aut culta, ad Orientem solem spectante, cum effoderetur sub Quercubus rarioribus, statim effossæ sunt Cicadæ non perfectæ, sed forma solita, & multæ, albæ, sine alis, quæ sub terra latebant. Propterea ego nescio, an omnes ex semine, ut dicit Aristoteles, vel quædam etiam ex putri materia oriantur. Ego id naturæ repugnare minime censeo, ut hæc animalcula & sponte oriantur, & ex semine* &c. Vide hominis acumen invenerat Tettigometras, quæ alas nondum explicatas necessario ferunt, hinc statim pulcherrimas rationes sibi excogitavit. Sed, ut in putri materia relinquamus hunc, ego rejectis his fabellis, recensebo in postrema parte illius opusculi primum Cicadæ ortum, deinde quo tempore de nido egrediatur, quo alimento vivat, usque dum sub terram abdatur, & fiat tettigometra, nam neque eo anno, quo nascitur, tettigometra evadit, neque quo tettigometra, Cicada. Quibus absolutis, claudam libellum illo Aristotelis problemate ἐ γίγνονται δὲ τέττιγες, ὅπε δένδρα μὴ ἔστι, cur nimirum non inveniantur Cicadæ circa loca arboribus virgultisque nuda. Ostendam ideo fieri, primum quod illis destituuntur fulcimentis, in quibus suos canere hymenæos, atque celebrare solent, deinde quod, fœmellis ad deponenda ova aptam frustra quæritantibus sedem, cito genus perit. Quod minatus est jampridem Locrensibus Italiæ populis Dionysius Syracusanus illis verbis ὅτι οἱ τέττιγες αὐτοῖς ἄσονται χαμόθεν, significans obscure non solum ipsorum agros vastaturum, sed ita in excidium venturum, ut Cicadæ, si canere vellent, e terra canerent. Nihil enim extra terram eminens relicturus erat, neque ipsas quidem Cicadas, cum fieri non possit, ut excisis arboribus superfint.

Hæc tibi, *Præstantissime Vir*, de Cicada, & etiam de nostris Tabulis scribenda habeo, & vellem ut quid de his quoque sentias, quam primum potest fieri pro tua erga me benevolentia, & humanitate me

per literas certiorem facias: num aliquid addendum, aut detrahendum sit, fac intelligam, nihil me celato. Absolutissimum enim futurum est opus, quod tuo consilio, & tua auctoritate confirmatum emittetur. Quare quidquid rescripseris, sequar, si addendum, addam, abjicietur, si abjiciendum, & libenter etiam omnia supprimam, & delebo, si id tibi cordi esse intellexero.

Reliquum est, ut huic epistolæ tandem finem imponam, quæ quidem plenior est, quam a principio volueram, & tuis occupationibus forte importuna futura est, tuoque Pinaci moram aliquam allatura. Sed quis amicis, qui tanto terræ, & maris intervallo disjunguntur, scribendi modum imposuerit? Ergo sis felix, immo felicissimus; felices enim illi tantum dicendi sunt, quibus datum est aut facere literis mandanda, aut mandare literis legenda: tu vero qui utrumque præstas, felicissimus in paucis mihi videris. Itaque vale, Clarissime Vir, teque quam diligentissime cura. Iterum atque iterum vale.

*D. Patavio III. Idus Octobris MDCCXVII.*

# FINIS.

NOI

# NOI REFFORMATORI
## Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di Revisione, & Approbatione del P. F. Ambrosio Lisotti Inquisitore di Padoa nel Libro intitolato : *Julii Pontederæ Pisani Philosophi, & Medici Compendium Tabularum Botanicarum &c.* non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Attestato del Segretario Nostro; niente contro Prencipi, & buoni costumi, concedemo Licenza a Zuanne Manfrè Stampatore, che possi esser stampato, osservando gl' ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 5. Febraro 1717.

( Francesco Soranzo Proc. Refor.
(
( Lorenzo Tiepolo Kav. Proc. Ref.

*Agostino Gadaldini Segr.*

# ERRATA ITA CORRIGITO.

In Epist. ded. lin. 15 munifi- magnifi-

| Pag. | lin. | | |
|---|---|---|---|
| 1 | 13 | μεθ϶ξ | μεθ϶ξ |
| 3 | 4 | λιδανωδης | λιβανωδης |
| 3 | 19 | mucosa | mucosa |
| 4 | 18 | ferri | deleatur ferri |
| 8 | 14 | Anteqeam | Antequam |
| 13 | 28 | porrecthe | porrecta |
| 17 | 31 | to caule, quanto | cum caule; quanto |
| 20 | 8 | invia | pervia |
| 25 | 21 | anumas | annuas |
| 26 | 9 | Giorgius | Georgius |
| 28 | 24 | & si | etsi |
| 31 | 30 | *subfrutex* | *fubfrutex* |
| 33 | 24 | *sub rotundo* | *subrotundo* |
| 38 | 23 | nostratum frequentissima | nostrum frequentius |
| 40 | 1 | & si | etsi |
| ibid. | 4 | Cum | cum |
| 46 | 8 | , proponere | proponere, |
| 60 | 21 | anni | ranni |
| 65 | 2 | CABRÆI | CHABRÆI |
| 66 | 27 | fere | ferri |
| 70 | 28 | caeules | caeulem |
| 71 | 19 | assugerit | effugere |
| 72 | 24 | proloquimur | perloquimur |
| 74 | 9 | nostrum summus | nostrum cum dictum summus |
| 88 | 8 | dixisim | experrectam |
| 93 | 22 | longitutque | elongatumque |
| ibid. | 24 | cocleatis | cochleatis |
| 94 | 3 | Bellote | Ballote |
| ibid. | 28 | flabulabuntur | flabulantem |
| 97 | 15 | illo | illo in Venda |
| 102 | 1 | obtinet | obtinet |
| 104 | 32 | tres ferendas | transferendas |
| 110 | 17 | *Suppl.* | *Suppl.* |
| 111 | 17 | calix | calyx |
| 115 | 10 | *Lobelii* | *Lobelii* |
| 121 | 24 | delata | dilata |
| ibid. | 31 | dispositis | disposita |
| 123 | 31 | qui cum | quacum |
| 125 | 25 | effoslis | effossa |
| ibid. | 28 | singulis | singuli |
| 132 | 8 | intra | inter |
| 133 | 13 | Classem | Classe |
| 137 | 28 | lyat am | ſpatium, |
| 139 | 27 | sique | siqua |
| 141 | 22 | purportione | proportione |
| 145 | 10 | alios | ab alios |
| 147 | 24 | sub dupla | subdupla |
| 150 | 22 | quinque | quatuor |
| ibid. | 23 | una copetalo | unico petalo |
| 151 | 7 | quinque | quatuor |
| ibid. | 8 | quatuor | tres |
| 156 | 5 | decerpitur | decerpiuntur |
| ibid. | 21 | *Cupressus* | *Cupressi* |
| 166 | 13 | *Alpeta* | *Alpeta* |

| In Epist. Pag. | Lin. | | |
|---|---|---|---|
| V | 14 | defferebat | deferebat |
| VI | 25 | seorsum | seorsum |
| VIII | 27 | fierbat | ferum deprehensa est |
| X | 28 | urnbelacis | umbilicis |
| XII | 30 | ipse | ipsa |
| XIII | 22 | in | in quibusdam |
| XVI | 24 | sit | sua, |
| XVII | 25 | *apparens* | *apparentum* |
| XX | 23 | octavas | octavas |
| XXI | 28 | prorsus | praecept |

